



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi
Servatoris Crisis Historica**

Chifflet, Jean-Jacques

Antverpiae, 1624


[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)




N III. 25.

26

Th. 4905.





IO. IAC. CHIFFLETII
D E
L I N T E I S
S E P V L C H R A L I B V S
C H R I S T I S E R V A T O R I S
C R I S I S H I S T O R I C A .

Collegij Societatis JESU Paderbornæ 1636.



A N T V E R P I Æ,
E X O F F I C I N A P L A N T I N I A N A,
A p u d B a l t h a f a r e m M o r e t u m , & V i d u a m
I o a n n i s M o r e t i , & I o . M e u r s i u m .
M . D C . X X I V .

IN HAC CHRISTI
DE
SERVATIS
SERVATIS
SERVATIS
SERVATIS

ANNO
EXORDIUM A
Apost. Bibliothec. Martini & Vidua
Iohannis Martini & Jo. Martini
M. D. C. XXII

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

DOMINO

D. IOANNI FRANCISCO

EX COMITIBVS GVIDIIS A BALNEO
ARCHIEPISC. PATRACENSI

IN BELGICÆ ET BVRGVNDIÆ PROVINCIIS

NVNTIO APOSTOLICO

CVM POTESTATE LEGATI A LATERE.



ILLVSTRISSIME DOMINE,
postquam Vefontio-
nem meam tibi placuisse
sciui, ratus apertas mihi
esse *M^o C^o d^o regis*, sustuli
animum ad maiora, & funeri CHR-
ISTI Seruatoris admoui stylum, vt linea
inuolucra, quibus illo mortis triduo te-
ctus fuit, posteris euoluerem. Ad hoc
versavi scripta vetustioris æui, &

* 2

hu-

huius nostri, nec inueni qui rectè ὀθωνιακόν
egisset. Itaque ausus sum nouus Tiphys
pandere vasto Carbasia ponto; & obire il-
lud munus per hanc Historicam Crisim,
quæ crassas in antiquis illis ritibus nu-
bes discussura sit luce suâ: sed non nisi
præuiâ ingenij tui, virtutis & doctrinæ
face, qui in Antiquitatum densâ caligi-
ne, auia quæuis peragraisti, obscura per-
uasisti, superasti difficilia. Prælucebit et-
iam stemma tuum Nobilissimum, quod
ex verè Regiâ Comitum GVIDIORVM
Ducis familiâ, quæ iam inde à Comite
GVIDONE Othonis Magni Saxonis Im-
peratoris nepote, eiusque in Italiâ au-
ctore, maximè floruit; & etiamnum fa-
uentibus Superis floret, Heroum Martio-
rum, Ducumque præstantissimorum,
qui domi forisque pro S. Sede Aposto-
licâ

licâ res præclarissimas gesserunt, & longè lateque per Etruriam & Flaminiam imperitarunt, perpetuum veluti seminarium. Horum vestigia secutus NICOLAUS Marchio Montis-belli frater tuus, de consensu Maximorum Regum, Ecclesiasticæ militiæ in Valle Tellinâ summus Præfectus est constitutus. Tu verò quot iam annis pro eadem Sanctâ Sede operam tuam impendisti? CLEMENTE VIII. & LEONE XI. Pontificibus, Provinciis plerisque per Italiam præfuiisti, easque sapientissimè moderatus es. Post eâ sedente PAULO V. Auenioni & Comitatu Venicino Præfectus pro Legato, septennio tui magistratus, Urbem ipsam variè septuplicem nobilitasti, summoque ciuium applausu rexisti. Demum à GREGORIO XV. in Belgium, ad piissimum

simum par Principum ALBERTVM &
ISABELLAM Archiduces Nuntius mis-
sus, altero ad vitam meliorem euocato,
annum iam tertium, apud Serenissi-
mam INFANTEM viduam, sub nouo et-
iam, sed verè Opt. Max. Pontifice VR-
BANO VIII. munus tuum cum singulari
pietate & prudentiâ obis. Quidni ergo
tu tanti Pontificis Α'γαθός Α'γέλθ', tutêris
hæc velamina, sacrosancto CHRISTI
cruore conspersa? Sanè his instructa PE-
TRI Navis non timebit

— *precipitem, Africum*

Decertantem Aquilonibus,

Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.

Admiranda quippe diuini amoris in iis
elucet argumenta. CHRISTVS enim à
nobis transiturus ad PATRIS dexteram,
& supernas cæli sedes, id eâ ratione præ-
stitit,

stitit, (quæ eius fuit *φιλανθρωπια*) vt nihilominus nobiscum restaret; re quidem, sed latenter, in Altaris Sacramento; per Imaginem autem, sed expressam ac manifestam, in sepulchralibus linteis. Illa inclyta miraculis *ὀθόνια*, veneranda nostræ salutis pignora, tibi offero, ILLUSTRIS-
SIME DOMINE, vt antiquissimam eorum dignitatem tuearis, quorum fidem constans ætatum consensus firmavit, & gentium concursus. Agnosces in corporis humani lineamentis, *συγκατάθεσιν ἀκατάληπτον* incarnati Verbi; in iustâ staturâ, partiumque symmetriâ, speciosum formâ præ filiis hominum; in rubore, sanguinis ac vulnerum notas; in iacentis specie, mortis causâ nostrâ obitæ, ac sepulturæ *μνημόσυνον*; in linteo, resurgentis exuuias; vbiq; Dei hominis in nostrum
genus

genus inestimabilem charitatem. Quæ de
iis attuli prodigia antiqua & recentia, in
vnum congesta fascem, inconcussæ veri-
tatis præsidio firmata sunt; nec Opuscu-
lum hoc meum fluctuare sinent, maximè
si fauoris tui aurâ, & beneuolentiæ radiis
afflentur, illustrentur. B. V. ILL^{ME} DO-
MINE. DEVS TE τὸ πάντος ἄξιον, cumulo fe-
licitatis beet. Ita voueo, Bruxellæ, Kalen-
dis Maiis anni Domini M. DC. XXIV.

ILL^{MAE} ET REV^{MAE} D. T.

devotissimus

Io. Iac. Chiffletius.

ERYCI PVTEANI
ad Clarissimum Amplissimumque V.
IO. IACOBVM CHIFFLETIVM
DVÆ EPISTOLÆ:
De scriptione LINTEORVM
SEPVLCHRALIVM.

CLARISSIME ET AMPLISSIME VIR,

DE LINTEIS SEPVLCHRALIBVS CHRI-
STI SERVATORIS (ô nobile, & dignum
felicissimâ eruditione tuâ opus!) *Judicium* petis? at
Elogium longè faciliùs promam. Ubi legero, ubi
laudauero, nec *Judicium* requires. Itaque euoluam
statim librum, & suauissimam hanc occupationem
arbitror: expendam singula, ut vehementiùs oble-
cter; & quia obsequio non peccabo, liberiùs ad *Enco-
mium* accedam. Vni tamen, ut quasi in antecessum,
prurientem animi affectum indicem? Hoc vno libro
quidquid est librorum vicisti. Viuet ille, quamdiu inter
homines *Pietas* & *Religio* erunt: in illo nomen tuum,
iam profanâ omni scriptione maius; quia sanctissi-
mum argumentum admirabili doctrina solertiâ com-
plexus,

**

plexus,

plexus, doces, quæ cum damno Sacra & Profana eru-
ditionis tot iam sæcula ignorarunt. O te beatum,
qui sic scribis! Deinceps quiescere poteris, æternus
es. Poteris, inquam, si in consortium laboris huius
(an & honoris dicam?) Optimus Doctissimisque
frater tuus PHILIPPVS CHIFFLETIVS Ser^{ma}
Infanti à Sacris Oratorij, adducatur: ut quæ tua
sunt, sua ille quodammodo faciat, Gallicæq; vertat.
Latina esse LINTEA SEPVLCHRALIA satis non
est: legi ab omnibus & intelligi debent, & præsertim
ab Aulicis nostris. Fiet id autem, si, ubi Pietatem
quisque suam excolet, peregrinus non erit; si, ubi rara
omnia, linguam tamen suam inueniet. Vale. Lo-
uanij in Arce, Kalendis Febr. M. DC. XXIV.

CLARISSIME ET AMPLISSIME VIR,

IUDICIUM meum de CRISI hæc HISTORICA
deprompturus, redire ad Elogium cogor. Ete-
nim nisi laudem quæ scripsisti, malè Censorem a-
gam; nisi doctrinæ quoddam numen ingenium tuum
dixero, malè laudem. Scripsisti LINTEA, sed SACRA
& SEPVLCHRALIA LINTEA; manifesta CHRIS-
TI SERVATORIS LINTEA, quia scripsisti. Feli-
cius (& hæc mea sententia est) nobilissimi dignitas ar-
gumenti absolui non poterat; in quo & Pietati, &
Eru-

Eruditioni satisfactum puto. Hoc profectò fuit, non
de Vrbe tantùm tuâ, sed de vniuerso Orbe Christiano
benè mereri: hoc fuit, Urbem iterùm tuam Orbi re-
presentare. Dedisti mortalibus oculos; ut, nisi obstina-
ta prorsus mentis cecitas obstet, videre omnes, & in
clarâ luce queant, quàm pretioso aternitatis pignore
Sequanorum Metropolis beata sit, & quàm indubi-
tato, ut sic appellem, Palladio glorietur. Debent ergo
iam tibi SACRVM SVDARIVM Ciues tui, sic expli-
catur: debent Taurinenses SINDONEM tibi, sic
ostensam: debent CHRISTI IMAGINEM tibi Chri-
stiani omnes, vero & sanctissimo sanguine eius SIN-
DONI & SVDARIO impressam. Aliquid verò hîc
miraculi esse, quid mirum? Deus inuolutus fuit, &
in panno lineo circumducto reliquit formæ lineamenta,
quæ si in expanso spectarentur, symmetria legem non
excederent. Itaque vultum suum naturali magnitu-
dine circumscripsit natura Auctor, cum haberi ab ip-
sâ naturâ non posset. Hæc pictura Dei est: sic pin-
gitur, qui hominum causâ, quidquid homo non susti-
neret, passus est: sic pingit, qui ut tormenta sua mor-
têmque ostenderet, cruorem in colorem vertit, & in
sepulchro adumbratam simul aromate inueniri voluit
imaginem, ab omni posteritate adorandam. Imaginis
imago, hæc tua CRISIS est, Doctissime CHIFFLETI,
ex umbrâ Antiquitatis eruta, Veritatis luce circum-
fusa,

fusa, & sacrum deinceps pretiosissimis Reliquiis cultum vindicabit. Prodeat Liber: omnis cum publico & Religionis damno mora est. Legant hanc CRISIN, qui in rebus Sacris Profanisque Crisin usurpant; & qua haecenus ignorarunt LINTEA SEPULCHRALIA, intelligent; qua minus coluerunt, venerari incipient, tuum sic quidem in pretio ac deliciis nomen, Pietatis Eruditionisq; causâ habituri. Vale, & hoc siue Iudicium, siue Elogium ama: me ama, qui censere pulcherrimum Scriptum tuum non potui, nisi laudarem. Louanij, in Arce Palladis, Prid. Eid. Febr. M. DC. XXIV.



IN-

I N D E X

C A P I T V M.

- C**AP. I. *Varij sepeliendi ritus : mandare terræ corpora, antiquissimus: studium sepulture fuit argumentum resurrectionis.*
Pag. 1.
- C**AP. II. *Corpora terræ condita, velis fuisse obducta; ex more, qui à Judæis manavit, & Aegyptiis: horum ritus, & conditura ratio.* 6
- C**AP. III. *Schema conditorum in Ægypto cadaverum ob oculos positum.* 10
- C**AP. IV. *Ritus sepulture Iudaica duplex: mortui loti, & uncti, involuti. Christi funerationi adhibita Sindon, Sudarium, lintheamina, infite.* 16
- C**AP. V. *Sindonis ac Sudarij ἔτυμον, & significatio multiplex: utrumque ad funera traductum.* 23
- C**AP. VI. *Sudarium Vefontinum videri illud ipsum de quo mira narrat Beda, quodque à Virgine Deiparâ in Filij sepulturam concessum dicitur: primi eius possessores.* 27
- C**AP. VII. *Novatorum sanne & argumentum duplex in sacra Christi Sudaria: Vefontinum Sudarium cur institarum notas non habeat. Exhibetur Lazarus suscitatus, vinculis nondum solutus.* 33
- C**AP. VIII. *Sudarium Vefontinum esse illud ipsum, quod S. Ioannes dicit fuisse super caput Domini.* 40

* * 3

CAP.

INDEX CAPITVM.

- CAP. IX. Sudarium Domini è Palestinâ Vefontionem perlatum, & quando: ostensionis eius ritus antiquior: non est cingulum Domini. 50
- CAP. X. Alia sacra pignora ex Oriente cum S. Sudario Vefontionem allata. 59
- CAP. XI. Sudarium Vefontinum miraculis illustre: amissum, recuperatum: eius vi mortuus suscitatus, & ager persanatus. 66
- CAP. XII. Hereticus impudens causo absumptus: cuius gravissimè laborans & Bonus Archiepiscopus curati. Obiter de Magnatum donariis. 71
- CAP. XIII. Cæci cum fide visum recipiunt: ex oculis laborantes persanantur: aliis ad tempus adimitur visus. 75
- CAP. XIV. Epidemica lues sedata voto publico. Sodali-
tas S. Sudarij; huius altare Apostolico privilegio munitum. 80
- CAP. XV. Morbi à veneficio sublati per imagines S. Sudarij Vefontini: alia de eodem Sudario mira, & scitu digna. 84
- CAP. XVI. De Sindone Taurinensi: unde illa proximè Camberium aduecta. 89
- CAP. XVII. Gaufridus de Charny Eques Burgundus Sindonem Christi Ecclesiæ de Lireyo in Trecensi Diocesi à se exstructæ attribuit: quomodo ibi habitata Sindon. 95
- CAP. XVIII. Transfertur S. Sindon è Campania in Burgundiam: multa nequidquam conantur Lirenses, ut illam recipiant: Camberij denique non sine miraculo relinquitur. 103
- CAP. XIX. Quid pro Sindone, ex

INDEX CAPITVM.

- ex eo tempore à Lirensibus
actum. III
- CAP. XX. Camberij religiosis-
simè habita Christi Sindon:
miracula per eam edita:
flammarum vim ut eua-
serit. 119
- CAP. XXI. Aia Sindonis
Allobrogicæ clariora mira-
cula. 127
- CAP. XXII. Quæ in loca Cam-
berio deportata S. Sindon:
Taurinum denique ut ve-
nerit. 132
- CAP. XXIII. Aliquid pro
veritate Sindonis Tauri-
nensis, contra sententiam
iniquam Clementis Anti-
pape. 137
- CAP. XXIV. Sindonem Tau-
rinensem unde Gaufri-
dus de Charny, trecen-
tis penè abhinc annis, acce-
perit. 142
- CAP. XXV. Sindonem Allo-
brogicam excepisse cruen-
tum Christi corpus, &
- de Cruce recens depofi-
tum; non illud in sepul-
chro post pollincturam ob-
texisse. 145
- CAP. XXVI. De Sindone
Compendiensi. 150
- CAP. XXVII. Alia othonia
pro linteis Christi sepul-
chralibus habita: ectypa
pleraque: sanctuariorum: bran-
dearum: linteamina Marty-
rum & veterum Christia-
norum. 160
- CAP. XXVIII. De sepulchrali-
bus Christi Domini fasciis
distinctius. 169
- CAP. XXIX. E quo lino texta
sint sepulchralia linteae
Christi Domini, & quo
textura modo. 176
- CAP. XXX. De imagine Christi
sepulchralibus Linteis Ve-
fontino & Taurinensi im-
pressa: ac primùm de sta-
tura & Symmetriâ corpo-
ris; tum de situ eiusdem
& collocatione. 184
- CAP.

INDEX CAPITVM.

CAP. XXXI. De vulneribus quinque præcipuis, cicatricibus minutis, & cruore, toto corpore sparso.	deffeno.	200
190	CAP. XXXIV. De Sudario Veronica.	204
CAP. XXXII. De velo circa coxas: tum de sacrarum Imaginum colore, ratione & modo.	CAP. XXXV. De aliis Imaginibus Christi Domini non manu factis.	209
195	CAP. XXXVI. Quis cultus exhibendus Linteis sepulchralibus Christi Domini.	218
CAP. XXXIII. De Sudario E-		



IO. IAC. CHIFFLETII

D E

L I N T E I S

SEPVLCHRALIBVS
CHRISTI SERVATORIS
CRISIS HISTORICA.

CAPVT PRIMVM.

*Varij sepeliendi ritus: mādare terra corpora, antiquissi-
mus: studiū sepulturæ fuit argumentū resurrectionis.*



VPREMVS mortalium honos, se-
pultura semper est habitus, pax &
quies defunctorum, solatium super-
stitum, atque munus; quod actum
est & persolutum vario planè ritu:
nam si ordine elementa spectes, ex more credita
singulis inuenies cadauera. Græcos, Romanos,
Gallos, Germanos, & plerasque alias gentes olim
flamma consumpsit: Colchi ad arbores in aère
cadauera suspenderunt: senibus Hyperboreis se-
pulchrum fuit mare, flumina Æthiopibus, Scy-
this

A

this

1. De Leg. this algidioribus niues. Sed antiquissimum sepul-
 turæ genus illud fuit, Tullio teste, quo redditum est
 terra corpus, & ita locatum ac situm, ut quasi operi-
 mento matris obduceretur. Sanè ab ipsâ naturâ est,
 ut mortuorum corpora terræ mandentur. Sic ho-
 minum illa (Plinio scribente) ut cælum Dei: quæ nos
 nascentes excipit, natos alit, semelq; editos sustinet sem-
 per; nouissimè complexa gremio, iam à reliquâ naturâ
 abdicatos, tum maximè ut mater operiens, nullo magis
 sacramento, quàm quo nos quoque sacros facit, etiam
 monumenta ac titulos gerens, nomenq; prorogans no-
 strum, & memoriam extendens, contra breuitatem cui.

Lib. 2.
cap. 63.

Plin. 1.7.
cap. 54.

Omni parens, eadè rerum est commune sepulchrum,
 ait Lucretius. Eo ritu $\pi\rho\omega\tau\omicron\pi\lambda\acute{\alpha}\varsigma\eta\varsigma$ noster sepultus
 creditur. Rex Numa pariter ad fontis aras. Et ita
 humata est gens Cornelia, quæ priscos seruauit
 ritus, vsque ad Syllam Dictatorem, qui primus ex
 eâ traditur crematus. Iulium Epigonum ritu illo
 sepultum, testatur hic memoriæ lapis, in viâ Lau-
 canâ, quinto ab Vrbe milliari:

D. M.

L. IULLI EPIGONI

VIXIT. ANNIS. XXVI. M. V. D. XII.

CORPVS. INTEGRVM. CONDITVM

L. IVLIVS. GAMVS

PATER. FILIO. PISSIMO.

Alter

Alter eundem morem firmat, qui est Romæ
sic inscriptus:

L. IVLIVS. GAMVS
DIs. MANIBVS.
L. IVLI. MARCELLI
NEPOTIS. SVI
VIXIT. ANN. V.
DIEBVS. XXXXI
CORPVS. INTEGRVM
CONDITVM
SARCOPHAGO.

Poppæa Neronis coniux (auctore Tacito) *non* 16. Ann.
*igni abolita, ut Romanus mos, sed Regum externorum
consuetudine differta odoribus, condita, tumuloq; fu-
liorum illata.* Per Reges illos externos, Ægyptios
intelligo, & Iudæos, quibus ea consuetudo, terræ
corpora committendi; quam amplectitur Iudæus
ipse Philo, libro in Flaccum: *Ἀνθρώποις καὶ πᾶσι χερ-
σαίοις οἰκειότερον ἢ φύσις χωρίον ἀπένειμε γῆν, ἔ μόνον
ζῶσιν, ἀλλὰ καὶ δόξαν εἶναι, ἢ ἡ αὐτὴ ἐ τῷ πρώτῳ ἰσο-
δέχη) ἄρεσιν, καὶ τῷ ἐκ τῆς τελευτῆς ἀνάληψιν.* Ho-
minibus & omnibus terrestribus animalibus natura
magis propriam regionem terram tribuit, non solum
viventibus, sed etiam morientibus, ut ipsa & primum
susceperet ortum, & à vitâ ultimam resolutionem.

Mos ille à Iudæis ad Christianos postmodum

A 2 transijt,

4 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
transijt, qui mortuos condidere loculis excauatis
in subterraneis & arenarijs cryptis, quas *areas* vo-
cabant, *tumbas*, & *catacumbas*; & frequentissimâ
voce *cæmeteria*, quasi *dormitoria*; quòd doceret eos
fides, non interire Christianos, sed rursus excitandos,
in Domino interim obdormire: de quo piè
Prudentius more suo:

De Exe-
quijs.

*Quidnam sibi saxa cauat a?
Quid pulchra volunt monumenta?
Nisi quòd res creditur illis
Non mortua, sed data somno.
Hoc prouida Christicolarum,
Pietas studet, utpote credens
Fore protinus omnia uia,
Quæ nunc gelidus sopor urget.*

Et quidem internum venturæ resurrectionis sen-
sum, in Ethnicorum animis viguisse arbitror, cum
de supremo munere sepulturæ mirum in modum
fuerint solliciti, corporumque reliquias accuratissimè
seruarint, quasi rursus futuras domos immortalium
animarum. Hinc apud eos tanta funerum
celebritas, extructa mausolea, erectæ pyramides,
arcæ, pilæ; mensæque positæ, quibus incisi tituli
vitam ætheream spirantes, & corporum ad tem-
pus dumtaxat conseruationem. hinc mutos etiam
lapides obtestabantur, ut leuiter super ossa defun-
ctorum

etorum residerent: sub quibus *deponi* dicebantur, & *collocari*, vt aliquando tandem educenda; *dormire* & *quiescere*, quasi debuissent iterum euigilare, & artuum rediuiuorum beneficio moueri. Eandem ob causam sepulchra dicta reperies ipsis non modò *conditoria*, sed & *quietoria*, *repositoria*, atque non rarò *ossuaria*; quòd in ijs reliquiae corporum surrectorum, tamquam semina seruarentur, ossa nempe duriora, & ipsi dentes inuicti ignibus, & flammis indomiti. Tertullianus: *Constat non tantum ossa durare, verum & dentes incorruptos perennare, quæ vt semina retinentur fructificaturi corporis in resurrectione.* Vnde & fortassis hominem priusquam genito dentem cremari mos gentium non fuit, quod esset *tunc minor igne rogi*, vt canit Saty-
De Resur.
carnis.
Sat. 15.

Οὐ καλὸν ἀρμονίῳ ἀναλύομεν αἰθρώποιο.

Καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν εἰς φάος ἐλθεῖν

Δείψαν' ἀποικορμύων, ὀπίσω δ' θεοὶ τελέθειον).

Non dissoluimus pulchram hominis harmoniam;

Etenim subito è terra speramus in lucem venturas

Reliquias defunctorum, qui postea Dii fient.

CAPVT II.

Corpora terrâ condita, velis fuisse obducta, ex more, qui à Judæis manauit, & Ægyptijs: horum ritus, & condituræ ratio.

AQVIBVS Gentibus terrâ conditi mortui, ab ijs ferè & condimenta & vela adhibita, quibus nuda corpora tegerentur simul, & à putredine vindicarentur. Spartæ Regis Lycurgi statuto, obdlexerunt oleæ fronde, velata priùs puniceo amictu. Nazamones à lotionè & vnctione, album & elegans peplum adhibuerunt: quod & parti Persarum familiare fuit; necnon Ægyptijs & Iudæis, qui abluta & aromatis medicata cadauera linteis candidis inuoluère: quo ritu Christum Seruatorem sepultum legimus in Euangelio, vbi dicitur:

Ioan. 19. Acceperunt corpus IESV, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. qui sanè mos, licet primâ fronte cuius clarus & perspicuus videatur; non pauci tamen Criticis occurrunt nodi circa eum, & in numero linteorum, & in ratione inuolucris; quos omnes soluere intendimus, vt linteorum Christi sepulchralium crisis expeditior sit. Aliquid porrò mutuos in hoc ab Ægyptijs Iudæos Tacitus videtur innuere, vbi de istorum modo,

Plutarch.
in Lycurg.

Sextus
Emp. l. 3.
cap. 24.

Ioan. 19.

modo, quem fuisse dicit, corpora condere, non crema- HiR. 5.
 re, è more Ægyptio. Fauet Philo Iudæus, dum asserit
 non minus quam decies centena millia Iudæorum Lib. in
Flac.
 Ægyptum aliquando inhabitasse. Sed condendi ri-
 tum Iudæos ab Ægyptijs non accepisse cùm Scri-
 ptura sacra satis insinuet, vbi sepulturas Saræ,
 Abrahami, & aliorum perspicuè narrat; an illum
 condiendi, Tacitus intellexit? Sic videtur; & verò
 scripsisse condire, non condere; quò scilicet confer-
 uationem cadauerum per vnctionem & conditu-
 ram, opponeret eorundem destructioni per cre-
 mationem: vt alibi, Neronis Poppæam conditam 16. Ann.
 dixit, non igni abolitam.

Ritum Ægyptiacum triplicem faciunt Dio- Lib. 2. c. 5.
 dorus Siculus, & Herodotus Halicarnasseus. Pri- Lib. 2.
 mus, in quo argenti talentum infumebatur, fuit
 locupletiorum, qui myrrham puram, casiam, &
 alios odores, excepto thure, vnà cum vino Phœ-
 niceo adhibebant ad condituram. Λέσαιτες τὸν νε-
 κρόν, (inquit Herodotus) κατελίωσαι πᾶν αὐτὸ τὸ σά- Loc. cit.
 μα σινδόν & βυσίνης, τελαμῶσι κατετέμημένοι (εἰ, ἔσπ-
 χείοντες τὰ κόμμι, τὰ δὲ αὐτὴ κόλλης ταπολλὰ χεῖων)
 Αἰγύπιοι. Vbi abluerunt, sindone byssinâ, incisâ loris,
 totum inuoluunt, gummi illinentes, quo Ægyptij glu-
 tinis loco plerumque vtuntur. Secunda conditura,
 minoris sumptus (minarum scilicet viginti) fuit
 medio-

Lib. 16.
cap. 11.

mediocrium, qui nitro vtebantur, quod carnes tabefacit; & vngvine cedrino, cui tanta vis inest (inquit Plinius) *ut in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa seruentur.* Tertius modus minimi sumptus, & è plebe infimorum, abluitionibus tantùm constabat, & exsiccatione. Omnes porrò condituræ, præter exenterationem, requirebant salituram dierum ampliùs triginta, vsque ad septuaginta; nec enim licebat salire diutiùs. Iacob Patriarcha Ægyptio more conditus, vinctus est tantùm per dies quadraginta.

Arte illâ condita & exsiccata cadauera, Ægyptij domi seruabant. Herodotus: *Εἰθεύτεν δὲ ᾠδαδὲ-ξάρμοι μιν οἱ παροσθήκοντες, ποιούντ' ἕξλιον τύπον ἀνθρώπου πειδέα ποιήσασθαι, ἕσπεργυδοὶ τὸν νεκρὸν καὶ κατὰ κληῖσιν αὐτῶν ἔτα, θησαυρίζουσι ἐν οἰκίᾳ αὐτῶν, ἰσάντες ὀρθὸν πρὸς τὸ ἕξλιον.* *Eo deinceps recepto (cadauere condito) propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in quâ mox inserunt mortuum; atque ita inclusum, reponunt in loco sepulchrorum loculis dicato, & rectum statuunt ad parietem.* M. Tullius: *Condiunt Ægyptij mortuos, & eos domi seruant.* Pomponius Lib. 1. c. 9. *Mela: Mortuos nec cremare, nec fodere fas putant, verùm arte medicatos intra penetralia collocant.* Sextus Philosophus: *Ægyptij intestina extrahentes, condiunt defunctos, & eos supra terram habent.*

Si-

Silius Italicus:

— *Ægyptia tellus*

Punic. 13.

*Claudit odorato post funus stantia saxo**Corpora, & à mensis exanguem haud separat
umbram.*

Lucianus libro de Luctu: Ταρχδαι ἡ ὁ Αἰγύπτου
 ἔτι μῦθοι, λέγω ἡ ἰδῶν, ξηραίας τὸν νεκρὸν, σιμείπεινον
 καὶ συμπότῳ ἐποιήσατο: *Muria condit Ægyptius:*
atque hic quidem (rem visam à me narro) desiccatum
cadaver conuiuiam & compotorem adhibet. D. Atha-
 nasius Episcopus Alexandrinus, in Vitâ S. Anto-
 nij, lectis adhibita docet: *Mos est Ægyptijs nobi-*
lium, & præcipuè beatorum Martyrum corpora, lin-
teamine quidem inuoluere, & studium funeri solitum
non negare: terrâ verò non abscondere, sed super lectu-
los domi posita reseruare. hunc honorem quiescenti-
bis reddi, inueterata consuetudinis vanitas tradidit.
 Hanc consuetudinem vsque adeò detestatus est
 S. Antonius, vt vetuerit ad Ægyptum suas perferri
 reliquias, ne vano illo honore seruarentur, vt au-
 ctor est laudatus Athanasius; cui non absimilem
 atque Antonio suo mentem fuisse ostendit Da-
 mascenus: Ἰσμερτὸν μακάριον Αἰθιοπίαν, ἀπηγορευ-
 κότα τὸ ἐν λαρίναξι ἡθέναι τὰ τῶν Ἀγίων λείψονα,
 μάλλον δὲ προσάποιτα ὑπὸ γῆν ταῦτα καλύπτειν, τὸ ἄτο-
 πον ἔσθαι τῶν Αἰγυπτίων καταργῆσαι βελομόρον, ὅτι τὰς
 ἑαυτῶν νεκρὰς ἐχ ὑπὸ γῆν ἐκευθῆον, ἀλλ' ἔπι κλινῶν καὶ

Orat. 1.
de Imag.

B

σιμ-

IO DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI

συμποδίων ἐτίθει. Scimus S. Athanasium Sancto-
rum reliquias non in urnis collocandas, sed humi con-
dendas esse eo consilio censuisse, ut absurdum Ægyptio-
rum morem abrogaret, qui suos mortuos non sub terrâ
condebant, sed in lectulis & scimpodiis collocabant.

Lib. 3. Ceterum superstitiosæ illius condituræ causam
fuisse scribit Herodotus, quod persuasum habe-
rent, ignem esse animatam belluam, quæ cuncta
deuoraret, & simul emoreretur: tum etiam ne hu-
mati deuorarentur à vermibus. Verum eam non
tam vanitati & superstitioni tribuit Cassianus,
quàm necessitati, propter frequentem inundatio-
nem Nili. Coll. 15. Hunc Ægyptiis morem (inquit ille) Nili
cap. 3. fluminis inuexit eluuiæ; ut quoniam uniuersa terra
illius latitudo, instar immensi pelagi, non paruo anni
tempore, solitâ aquarum eruptione contegitur; ita ut
nulla cuiquam viandi copia, nisi lemborum transue-
ctio tribuatur; corpora mortuorum, pigmentis condi-
ta redolentibus, in editioribus cellulis recondantur.

C A P V T I I I.

Schema conditorum in Ægypto cadauerum
ob oculos positum.

MEDICATA cadauera solebant adeò exsic-
care pollinctores Ægyptij, ut statuas æneas
solidi-

soliditate adæquarent: linguâ suâ *Gabbaras* appellabant, ait D. Augustinus; quasi *barbaros*, & *insulos*, ex Isidori glossis. Nunc vulgus vocat *Mumias*,
 seruata quæuis in Ægypto per condituram corpora; in quorum truncis, frequenter latent icunculæ quædam spithameæ, ac etiam minores, quæ corpus, Ægyptio more conditum, & linteis inuolutum egregiè referunt. Theuetus, imagunculas illas, vult esse signa Numinum, quæ quis defunctus coluisset in vitâ: à cuius sententiâ non multum abijt Bellonius^a. Goropius Becanus^b Canopicen-
 set esse simulacra; Guichardus^c verò Ifidis, vel Osiridis. Ego in tanto discrimine quid affirmem? verum forsitan, si dixerò, imagines illas esse cadauerum conditorum exemplaria. Fauet Princeps Radziuilus, in Peregrinatione suâ Ierosolymitana, scrutatus ipsemet diligenter sepulchra Ægyptiaca: *Idola illa, inquit, sunt ex argillâ, carulei vel violacei coloris, ad vnus digiti longitudinem; quædam etiam minora, formam infantuli fasciis circumligati, adiectis multis Ægyptiorum characteribus, exprimentia. Qualia autem sunt idola, tali modo & ipsa corpora linteis sunt inuoluta, quæ ob antiquitatem aded sunt marcida, vt papyrus combustam, quæ nigrescit, & facillimè diffluit, imitentur. Et antiquior Herodotus, Eισι, ait, Ἐν αὐτῶν τέτρω κατέα), ἔτεχνω ἔχου*
 Lib. 2.

ταύτω. Οὗτοι ἐπεαύσφι κομιθεὶ ὁ νεκρὸς, δεικνύσει τοῖσι κο-
 μίσασι τῶν ἀδείγματα νεκρῶν ξύλινα, τῆ γραφῆ μεμιμη-
 μένα. Καὶ τὼ μὲν σκευασθέντες αὐτέων φασὶ εἶναι, ἔτι
 ὅσιον ποιῶμαι τὸ ἔνομα. Ἐπὶ τοῖσιν πρῆγμα πῶς οἰομάζεν
 τὼ δὲ δουτέτῳ δεικνύσει ὑποδεδεσμένῳ τεταύτης ἔδουτελε-
 σμένῳ. τὼ δὲ τσίπιν, δούτελεσάνην. Φράσσουτες δὲ, πυνθά-
 νον ἵπαρ αὐτέων, καὶ ἦντινα ἐβλῶνται σφισκοδασθῆναι τὸν
 νεκρὸν. Οἱ μὲν δὲ ἐκποδῶν, μιθεὶ ὁμολογήσαντες, ἀπαλ-
 λάσοσιν, ἔτι δὲ ὑπολειπόμενοι ἐν οἰκήμασι, ὡδε τὰ σκευ-
 ασθέντα ταριχθῶσι. *Sunt certi ad hoc ipsum constituti,*
qui hoc artificium faciunt: ad quos cum cadaver por-
tatum est, ostendunt his qui portauerunt, exemplaria
mortuorum materialia, pingendo assimilata; et unum
eorum accuratissimè fabri factum esse aiunt, cuius ego
nomen si nuncupauero, haud faciam sanctè: alterum
illo inferius, ac vilioris pretij: tertium vilissimi. Ea di-
cètes, sciscitantur ab his, ad quod exemplar velint effin-
gi mortuum suum: isti conuento de pretio illinc abeunt,
et qui relinquuntur in adibus, hunc in modum con-
diunt corpus, &c. Illa τῶν ἀδείγματα νεκρῶν ξύλινα,
Valla interpretes vertit, exemplaria mortuorū lignea:
ego, ni fallor, accuratius materialia; tum quia ξύ-
λον Græcis quamuis dolabilem materiam sonat,
ἀπὸ ἑξείν τὴν ὕλην: tum quòd in corporibus condi-
tis, eiusmodi paruae statuæ, ex argillâ, aut aliâ soli-
dâ materiâ reperiantur; ad indicandum posteris,
 vti

vti cenfeo, quonam condituræ ritu, cadauera singula fuissent medicata; an cum hieroglyphicis signis & notis, in modum sepulti Osiridis, cuius nomen *Ὀσίριδος* ob reuerentiam præterit Herodotus; an alijs duabus minoris sumptus condituris; quòve pigmenti artificio, rubrone, subuiridi, an cæruleo: cuiusmodi Gabbaras illos fictitios plerosque vidimus, & domi habemus, in quadrangulam basim definentes, cui tota effigies recta insistit. Vnicum hîc exhibemus, absque notis hieroglyphicis, vt inuolucris ratio meliùs percipiatur.

Plut. de
Iside &
Osiride.

Sindone primùm byssinâ, ab imâ ceruice vsque ad pedes, corpus inuolutum est: & loris incisis circumligatum, quæ tamen ob gummi densius illitum non apparent: cubiti decussatim se premunt sub linteo, ita vt manus dextra in sinistro pectoris latere, sinistra in dextro videatur: supremo capiti ve-



B 3

lum

lum est superinductum, quod hinc inde propendet in ipsum medium pectus; in posticâ verò parte, à vertice inter scapulas definit: mento supposita est propendens ὀδόνη, fascia barbata, quâ constrangebant genas & maxillas mortuorum, ne os haret ipsis, vt auctor est Lucianus: sola facies nuda restabat, auribus etiam extantibus. Παράδιδοσι (ait

Lib. de
Luctu.

Lib. I.

Diodorus) τοῖς Κυρηναίοις ἔτελευτηκότων, ἕτως ἕκαστον τῶν ἑσώματος μέλων ἀκέραιον τετηρημένον, ὡς καὶ τὰς ἐπιτοῖς ἐλεφάντων καὶ ταῖς ὀφρύσι διαμύειν, καὶ τὴν ὄλκω πρὸς τὴν ἑσώματος ἀποδείλακτον εἶναι. *Curatum cadaver Aegyptij cognatis tradunt defuncti, ita singulis eius partibus, etiam superciliarum palpebrarumque pilis integrè seruatis, vt omnis corporis species integra perdiret.* quod arguit, omnia in facie lineamenta seruata, laruis etiam quandoq; adhibitis, Principe Radziuilo teste oculato. *Corpora, inquit, quae in tumbis deposita reperimus, habebant in facie personas coloribus vel auro depictas; ex quibus apparebat, lineamenta faciei eorum, qui depositi ibidem fuerant, ea ratione ad viuum fortassis expressa fuisse.* Tales Gabbarum imagunculas circumferre in conuiujs solebant, vt de fati extremi necessitate praesentes ad-

Loc. cit.

monerent. Herodotus: Ἐν δὲ τῆσι σωμασίνισι τοῖσι δαιμόσι αὐτέων, ἐπεὶ δὲ πρὸ δείπνου γούων, ἀεὶ φέροι δούη νεκρὸν ἐν ἑσώματι ζύλιον πεποιημένον, μεμιγμένον ἐς ταμά-

λιστα

λιστα καὶ γραφῆ καὶ ἔργῳ, μέγα θ' ὅσον τε πρῶτη πι-
 χυαῖον, ἢ δ' ἴπηχ. Δεικνύς δὲ ἐκάστῳ τῶν συμποτέων λέγει·
 Ἐς τὸν ὄρεον, πίνε τε καὶ τέρπεθ. ἔπειτα γ' ἀπεθανῶν τοῖς-
 τ'. *Apud locupletes eorum, cū multi conuenerunt,*
ἔ à cœnâ discessum est, circumfert aliquis in loculo
mortuum è durâ materiâ factum, sed picturâ ἔ opere
verum maximè imitantem, longitudine cubitali om-
nino, aut bicubitali; ostendensq; singulis conuiuiarum,
ait: In hunc respiciens pota, ἔ oblectare, talis post
mortem futurus. Simile quid mobile, & ex argento
exhibitum à seruo in conuiuio Trimalcionis, apud
Petronium: Potantibus, ἔ accuratè lautitias nobis
mirantibus, laruam argenteam attulit nobis seruus, sic
aptam, ut articuli eius, vertebraq; locatæ, in omnem
partem flecterentur: hanc cū super mensam semel
iterūque abiiecisset, ἔ catenatio mobilis aliquot fi-
guras exprimeret, Trimalcio adiecit:

Heu, heu, nos miseros, quàm totus homuncio nil est!

Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus:

Ergo uiuamus, dum licet esse benè.

Græcis, testandi luctus causâ, solemnis fuit eiuf-
 modi simulachrorum in publicum expositio: nam
 Plutarchus in Alcibiade tangit Atheniensium
 mulierum morem, quæ festo Adoniorum die col-
 locabant in vicis τὰ εἰδῶλα νεκρῶν ἐκκομιζομένης
 ὁμοίαι,

ὅμοια, imagines mortuis qui efferuntur similes, quibus Veneris dolorum, ex morte Adonidis, publicâ mœstitiâ meminissent.

C A P V T I V.

Ritus sepulturae Iudaica duplex: mortui loti, uncti, inuoluti: Christi funerationi adhibita sindon, sudarium, linteamina, instituta.

Genes.
cap. vlt.

Baronius
anno 34.
n. 36.

In Thu-
rim Iora
Degha,
cap. 35 2.

MODVM cadauera curandi apud Iudæos, duplicem inuenio: primum antiquiorem & omnino parem Ægyptio, eorum qui vixerant, aut viuebant adhuc in Ægypto; vt Patriarcha Iacob, cuius corpus iubente filio Ioseph, *aromatibus conditum est, per quadraginta dies, deinde repositum loculo in Ægypto.* Alterum Iudæis Palæstinam incolentibus familiarem, minoris sumptus, & à priori multùm diuersum; ex præcepto Gamalielis Senioris, cuius tam in Sacerdotibus quàm in populo potissima auctoritas erat: is cùm vidisset (referente Rabbi Iacob) excreuisse tantum apud Hebræos impensam funerum, vt eius magnitudine cognati perterriti, relicto cadauere aliquando se subducerent; eius sententiâ (quam vidit à posteris inuiolatè seruata) factum est, vt nonnisi lineis linteaminibus, ijsque non magni pretij, corpora defunctorum

ctorum obuoluerentur; in quo nullam voluit haberi rationem cuiusvis ordinis aut dignitatis, etiamsi regali effulgeret amplitudine; eoque modo seipsum sepeliri mandauit. Clarius ritum explicat idem Rabbi Iacob, ex Rabbi Moyse Ægyptio, vbi docet viros virorum, & feminas feminarum curare consueuiffe cadauera, in hunc modum: oculos imprimis claudere defuncto, & ora stringere fasciâ, tondere capillos, corpus lauare, vnguentis vngere, cadauer delibutum obuoluere linteis; sicque curatum ponere in sepulchro.

Primùm igitur in ritu fuit, oculos defuncto occludere, quod Ouidius *condere*, Virgilius *premere*, Varro *sigillare* dixit; vnaque maxillam inferiorem, (quæ sola mobilis est) ne hiaret, stringere tenui fasciâ ad verticem alligatâ. A beatissimâ Virgine matre id muneris Christo præstitum credimus, quod à matribus olim filiis exhiberi solitum. Polynices ad matrem apud Euripidem:

Συναρμόθῃ ἔβλεφαέμεν τῆς ἑστέρας χεεὶ μάτερος.

In Phœniss.

Iam claude mihi palpebras manu tuâ mater.

& extant querelæ matris Euriali apud Maronem, quòd filius eâ muneris parte caruisset:

— *nec te tua funera mater*

9. Æneid.

Produxi, prestite oculos, nec vulnera laui.

Secunda fuit capillorum incisio: à quâ tamen

C in

in damnatis abstinebant Iudæi, vt notat Baronius, *quòd maledictioni legis obnoxij essent.* ideò capite intonso sepultus est Christus Seruator, quòd à perfidis illis sententiam esset passus.

Tertio loco fiebat corporis lotio, adeò vulgaris apud priscos, vt pigeat eorum verba hîc aduocare. Scripsit Metaphrastes, B. Virginem matrem lacrymis Christi plagas emundasse: quod mihi reuocauit in mentem illa Ennij, in Ctesiphonte, apud Macrobium: *Neque terram iniicere, neque cruenta conuestire mihi corpora licuit; neque misera lauere lacryma & salsum sanguinem.* Lotioni corporis Dominici plures fuisse adhibitos, innuit Chrysostomus ex antiquioribus: *Dum peteret eum à Pilato (Ioseph,) & dum lauarent, iam vespera aduentarat.* Sordes pretiosas ac mundas, ex abluto corpore mortui Christi collectas, Balduinum Ierosolymorum Regem ad suos Flandros è Palæstinâ mississe per Abbatem S. Bertini, Lorinus in Commentarijs tradidit.

Lotionem secuta est vnctio, seu conditura; in quâ aliter Ægyptij, aliter Iudæi. Illi corpore exenterato, & cerebro per nares extracto, intrinsicus condimenta adhibere soliti; vt est apud Herodotum, qui hoc ipsum appellat *ἄρωμα*. Hi verò, Iudæi inquam, aromata & vnguenta applicabant extrin-

extrinsecus, quod in Sacris litteris dicitur Græcè
ἐνταφιάζειν, vel *ἀλείφειν*. Vnctionem vulgò rece-
 ptam indicauerat viuens Christus, cùm Maria ac-
 ceptâ vnguenti pistici pretiosi librâ, vnxisset pedes
 eius: *Sinite illam*, dixit, *ut in diem sepulture mee ser-* Ioan. 12.
uet illud. Et ad vngendum eum mortuum, venit
 primùm *Nicodemus ferens mixturam myrrha &* Ioan. 19.
aloës, quasi libras centum: & iterùm postquam trans-
 issit sabbatum, Maria Magdalena, & aliæ piæ
 feminae emerunt aromata, *ut venientes ungerent* Marci 16.
illum.

Quintò, delibutum cadauer inuoluebant lin-
 teis: quæ pars ritus contineri videtur hoc Eccle-
 siastici præcepto: *Fili, in mortuum produc lacrymas*, Cap. 38.
& quasi diræ passus, incipe plorare, & secundum iudi-
cium contege corpus illius, & non despicias sepultu-
ram illius, & luctum secundum meritum eius. Illa
 verba, *secundum iudicium contege corpus*, explico,
iuxta morem funebrem obuolue linteis. Ioannes de
 Christo: *Acceperunt corpus IESV, & ligauerunt* Cap. 19.
illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Judæis se-
pelire. Morem indico sigillatim è Sacris scriptori-
 bus. ita primò Matthæus: *Cùm autem serò factum* Cap. 27.
esset, venit quidam homo diues ab Arimathæâ, nomine
Ioseph, qui & discipulus erat IESV; hic accessit ad Pi-
latum, & petiit corpus IESV: tunc Pilatus iussit reddi
 C 2 corpus;

corpus, & accepto corpore Ioseph inuoluit illud in SINDONE mundâ, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petrâ, & aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti. Sic deinde Marcus:

Cap. 15. Cùm iam serò esset factum (quia erat parasceue, quod est ante Sabbatum) venit Ioseph ab Arimathæâ nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus IESV. Pilatus autem mirabatur, si iam obÿisset, & accersito Centurione interrogauit eum, si iam mortuus esset: & cùm cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph. Ioseph autem mercatus SINDONEM, & deponens eum inuoluit SINDONE, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petrâ, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti. Tum Lucas hoc modo:

Cap. 23. Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat Decurio, vir bonus & iustus: hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæâ ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei: hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus IESV, & depositum inuoluit SINDONE, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

SINDONEM, de quâ Matthæus, Marcus, & Lucas, interpretor lintea omnia, quæ ad Christi sepulturam quoquo modo adhibita sunt, siue quæ intra sepulchri septa conclusa fuere; quæ distinctiùs expressit

pressit Ioannes; siue quo cruentum Christi corpus & à cruce recens exceptum est, obiectumque, vt honestè ad pollincturæ locum deferretur; quod linteum esse Allobrogicam sindonem, infra ostendam; videturque illud primò & præcipuè significari mundâ sindone, quâ depositum Christi corpus inuoluisse Ioseph dicitur à tribus Euangelistis. Nunc Ioannem audiamus: *Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, (de seipso loquitur Ioannes) & venerunt ad monumentum: currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum: & cum se inclinasset, vidit posita LINTEAMINA, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit LINTEAMINA posita, & SVDARIUM, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum; & vidit, & credidit. Ecce sudarium capitis, & alia linteamina, de quibus etiam indeterminatè Lucas: Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod fuerat factum.* Verbum *LIGAVERUNT* apud Ioannem, *FASCIAS* indicat, siue *INSTITAS*, quas ex-

Cap. 11. pressè memorat in funere Lazari: *Et statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies eius sudario erat ligata.* Quia verò addit Ioannes, *ligauerunt linteis;* meritò dubitari potest, num id ipsum sint *instita*, quod *linreamina;* & an in Christi funeratione, præter *institas*, alia adhibita sint *linreamina*, quod puto probabilius, & fauet S. Augustinus: *Neque hic repugnat quidquam rectè intelligentibus, (inquit) nec enim illi (Matthæus, Marcus, & Lucas) qui de Nicodemo tacuerunt, affirmauerunt à solo Joseph Dominum sepultum, quamuis solius commemorationem fecerint: aut quia illi unâ sindone à Joseph inuolutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi, & alia lintea potuisse adferri à Nicodemo, & superaddi; ut verum narraret Ioannes, quòd non vno linteo, sed linteis inuolutus sit: quamuis & propter sudarium, quod capiti adhibebatur, & institas quibus totum corpus alligatum est, quia omnia de lino erant, etiamsi vna sindon ibi fuit, verissimè dici potuit, ligauerunt eum linteis: lintea quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur.* Hæc Augustinus pro linteorum pluralitate: de quâ nos infra plura; vt & de fascijs, sudario, sindone, ac totâ Dominicæ sepulturæ serie & ritu.

Lib. 3. de
Confess.
Euang.
cap. 23.

CAPVT V.

*Sindonis ac Sudarij ἔτυμον. Et significatio multiplex:
vtrumque ad funera traductum.*

SCIO geminas has voces *Sindonem* & *Sudarium*, promiscuè sumi ab Auctoribus: quæ tamen strictè consideratæ, diuersa habent ἔτυμα & significationes. Sindonis ἔτυμον hauriunt Grammatici à Sidone, maritimâ Palæstinæ vrbe, quòd in eâ primùm Sindon coeperit fieri. Iustinus eam Lib. 18. urbem à piscium vbertate sic dictam censet, quia *piscem* (inquit) *Phœnices Sidon vocant.* in nummo veteri Annæ Faustinae nominatur COL. AVR. PIA. METROPOLIS. SIDON.

Significatus Sindonis varius est, & multiplex. & quidem primò, quoduis lineum textum, quod velaret & amicaret, dictum est sindon. Baysius ex Polluce docet, sindonem esse *amictum ex lino Ægyptiaco.* Isidorus strictiùs capit: *Anaboladium sic dictum*, inquit, *amictorium lineum feminarum, quo humeri operiuntur, quod Græci & Latini sindonem vocant.* Alij pro integro vestimento capiunt; vt Strabo, qui scribit *Indos sindonibus candidis, & car-* Lib. 15. *basis vti, contrà quàm ab his tradatur, qui dicunt eos vestes coloribus infectas gestare.* Glossæ veteres: Σινδών,

δὼν, *tunica lintea*. Galenus: Μὴ γυμνὸς κομιζέσθω, ἀλλὰ
 Ἐπιβεβλημένῳ σινδὼνα μὴ ψυχρῶν, ἢ ἕτερον Ἐπιβλη-
 μα. *Ne nudus feratur, sed opertus sindone non frigida,*
vel alio vestimento. Martialis, de Endromide Se-
 quanicâ:

Lib. 4. *Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres,*
Nec sic in Tyriâ sindone tutus eris.

Theod. & Pall. Hinc in Historiâ Lausiacâ, inuenies Patrē quem-
 dâ, *Serapionem*, cognomine *Sindonitem*, quòd lineâ
 veste tantùm tectus obambulet. Denique narra-
 tur in Marci Euangelio, quòd cùm militum co-
 hors ad radices montis Oliueti Christum oran-
 tem inuassisset, discipuli omnes relicto eo fugerunt;
 & qui sequebatur eum adolescens, Ἐπιβεβλημένῳ
 σινδὼνα Ἐπι γυμνῶ, *amictus sindone super nudo*, cùm te-
 neretur à militibus, eâ relictâ nudus aufugit. Hunc
 fuisse Ioannem Euangelistam, volunt Ambrosius,
 Gregorius, Beda, & alij Patres. *Ille autem cœnato-*
 Anno 34. *riâ veste adhuc indutus erat* (inquit Baronius) *quæ*
 n. 39. *solebat esse sindon, eademq; proluxa, ut meritò fugam*
arripiens abiecerit eam adolescens ille, existimatus
Ioannes; qui quòd, ut creditur, mœrore oppressus non
recepisset vestimenta sua, ut erat in mensâ, remansit
amictus sindone super nudo. Transijt quoque sin-
 don ad funera, ita vt esset linteum sepulchrale ad
 cadauera non secùs atque vestimento tegenda &
 inuol-

inuoluenda. Herodotus de Ægyptiis: *Vbi abluerunt corpus, sindone byssinâ, incisissimis loris totum inuoluunt.* Lib. 2.

Sudarium Nonnus Poëta Græcus vocem Syriacam esse dixit, nec immeritò; nam in libro Ruth, vbi Hebræus habet, *הבי המטפחת* *Hami hammitpabat*, dato linteum; Chaldæus dicit, *הבי סודרה* *Hami sodara*. Alij passim omnes Latinis tribuunt, quòd apud ipsos clarius sit vocis etymon; *sudare* enim & *sudarium* affinia sunt. Ergo sudarium vocant linteum quoduis, quod *suda* siue sicca reddit corpora, *sudorem detergendo*. Inclino in sententiam Nonni; etsi nihil vetat idem vocabulum duabus linguis natium esse, vt asserunt quidam de nominibus *Missa, cephas, Iesus, & Pascha*. In Ioan. cap. 11. & 20. Cap 3. v. 15.

In Mediâ comœdiâ *σδαίμων* vocatur *καψιδώμων*, quasi *sudorem absorbens*. vetus etiam Onomasticum habet, *sudarium, καψιδώνιον*. Apud Quintilianum *Vatinius reus, agente in eum Caluo, sudario candido frontem deterfit*. Et apud Tranquillum *Nero plerumque prodiit in publicum, ligato circa colulum sudario*; tum aliò, tum forsan ad sudatoria perrecturus, vbi ferè loco strigilum vsurpata sunt sudaria: quæ Martialis linteorum nomine comprehendit, vbi de strigilibus ferreis: Pollux lib. 7. c. 16. Cap. 5 r.

*Pergamus has misit curuo distringere ferro,
Non tam sapè teret linteae fullo tibi.*

D

Dio

Dio in Nerone, pro eo quod Suetonius *sudarium* dixit, extulit σινδόνιον, quod est idem atque linteum. Ad Af-
nium. tenue, quia erant texta lino sudaria. Catullus vtrumque sumit indiscriminatim, quando petens surreptum linteum, ait:

— mihi linteum remitte,
Quod me non mouet aestimatione,
Verum est urnuόστων mei sodalis:
Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Veranius: hoc amem necesse est,
Et Veraniolum meum, & Fabullum.

Setaba vocabantur sudaria, à Setabi oppido Hispaniæ, in edito monte Regni Valentini sito, nunc dicto *Xatina*, cui olim in Europâ, lini palma. Sudarium quod ori maximè tergendo paratum esset, Epist. 2. dictum est etiam *Orarium*. Hieronymus: *Non absque amictu lineo incedere laudabile est: ridiculum est, referto marsupio, quòd sudarium orariumque non habeas gloriari.* Etymologicum sic habet: Ὠρειον, Φάσων, Φωσώνιον, Ὠρεῖον & ἄλλα γένη: *Orarium, uel linteum, linteum quo facies detergitur, mantile vultus.* Alcuinus mappulam Sacerdotum, quâ pituitam oculorum & narium detergent, vocat *sudarium*. *Gemma animæ: Sacerdos fanonem in sinistrum brachium ponit, qui & mappula, & sudarium*

De Diu.
off.

rium

rium vocatur. Durandus in Rationali: *Sudarium* Lib. 3.
cap. 16.
*est lineus pannus, quem ministrans Episcopo semper
 paratum habet, quo ille sudorem & omnem su-
 perfluum corporis tergat humorem.* *Sudarium*, quo
 Christus Dominus in monte Oliueti sudorem
 sanguineum deterfit, in summâ veneratione habe-
 tur in Monte sancto Bauariæ. Iam *sudarium* in re
 funebri vsurpat Ioannes in Christi & Lazari se- Cap. 11.
& 20.
 pulturâ, & alij communiter, vt ex sequentibus ali-
 quot Capitibus planum erit.

CAPVT VI.

*Sudarium Vefontinum videri illud ipsum de quo
 mira narrat Beda, quòdque à Virgine Deiparâ
 in Filij sepulturam concessum dicitur: primi eius
 possessores.*

DE sudario quod fuerat super caput Christi,
 hæc Venerabilis Beda, libro de Locis sanctis Cap. 5.
 ab ipso conscripto, ex relatione Arnulphi Episco-
 pi, quem iisdem ferè diebus, quibus hæc gesta sunt,
 loca sancta visitasse testatur: *Sudarium capitis Do-
 mini, post resurrectionem eius, mox Christianissimus
 quidam Iudæus furatus, vsque ad obitum diuitiis sibi
 affluentibus habuit; qui moriturus interrogat filios, qui
 Domini sudarium, qui ceteras patris velit accipere re-
 liquias:*

D 2 liquias:

liquias: maior thesauros rerum, minor elegit sudarium: & mox illi decrescunt opes usque ad paupertatem; fratri autem cum fide crescunt & opes, quod usque ad quintam generationem fideles tenuere. Hinc ad impios perueniens, diuitias tantum auxit, ut Iudais, & hoc multo tempore: donec post longa litigia, quibus Christiani Iudæi se Christi, infideles verò se patrum suorum affirmabant heredes; Mahumias Sarracenorum Rex, qui nostrâ stete fuit, iudex postulatur, qui accensâ grandi pyrâ, Christum iudicem precatur, qui hoc pro suorum salute super caput habere dignatus est. Missum ergo in ignem sudarium, veloci raptu efficiens euolat, & summo in aère diutissimè quasi ludendo volitans, ad ultimum, cunctis utrimque intuentibus, sese leniter in cuiusdam de Christianâ plebe sinum deposuit; quod manè mox totus populus summâ veneratione salutabat, & osculabatur. habet autem longitudinis pedes octo. Hæc Beda. Incombustibilem sacri sudarij virtutem, non aliunde promanasse arbitror, quàm imputribilem ligni sanctæ Crucis qualitatem; quam de illius carnis sanguine bibisse ait S. Paulinus, *quæ passa mortem non vidit corruptionem*. Non absimile miraculum (quod Baronius refert ad annum M. XIV.) narrat Leo Ostiensis de linteo, quo Christus præcinctus pedes discipulorū terfit. *His diebus* (inquit) *Monachi quidam ab Ierose-*

1014.

Chron.
Cass. l. 2.
cap. 31.

Ierosolymis venientes, particulam lintei, cum quo pedes discipulorum Saluator extersit, secum detulerunt; & ob reuerentiam sacri huius loci (Cassinensis Monasterij) hic deuotissimè obtulerunt, sexto Idus Decembris. Verùm cum plurimi fidem derogarent, illi fide præditi particulam istam ardentibus imponunt prunis; quæ mox in colorem ignis versa est, amotis tamen carbonibus, ad pristinam speciem admirabiliter redijt: cùmque cogitarent quomodo vel ubi pignora tanta locarent, dispositione Dei contigit, vt eodem die mitteretur huc loculus ille mirificus, ubi nunc condita est lintei ipsius particula, argento & auro gemmisq; opere Anglico subtiliter & pulcherrimè decoratus.

Sudarium Vefontinum credimus esse illud ipsum de quo Beda: & quamuis nullis antiquorum historiis fatis probari possit, quomodo ab illo sæculo, quo inuictum flammis apparuit, ad Vefontinos denique deriuatum sit; ratione tamen ducimur, quæ viris iudicio præditis non videbitur parui momenti; nempe quia Sudarij Vefontini longitudo & celebritas, Bedæ narrationi apprimè quadrant. Sudarium illud Bedæ, longum fuit pedes octo, vt est etiam Vefontinum; & eam fuisse sepulchri Domini longitudinem asserit Adrichomius. Longitudo verò Sindonis Taurinensis est pedum duodecim: quo fit, vt mihi probari non

D 3 possit

possit sententia Palæoti, qui eam Sindonem dicit esse Sudarium capitis Saluatoris, de quo egit Beda, cùm longitudinum diuersitas contrarium euincat; neque enim octo pedes, etiam Anglicani, (de quibus fortasse locutus videri possit Beda) æquare possunt longitudinem Sindonis Taurinensis, quamuis ea tantùm esset duodecim pedum communium. Cùm ergo illud Christi Sudarium octo pedes longum, quod è medijs flammis diuina virtus eripuerat, ex eo tempore perijsse non sit credibile; neque aliud in Ecclesiâ Dei reperiatur huius mensuræ, cuius celebritas & sanctitas priscis illis quæ Beda refert miraculis respondeat, præter Vesontinum; vehementer adducimur vt existimemus, illud ipsummet Bedæ æuo celebre Christi Sudarium, ex alijs in alios, ad Vesontinos denique peruenisse. Primos eius possessores Beda facit Iudæos, qui in Christum credidissent; atque vsque ad quintam generationem: exinde infideles, vsque ad tempora Mahuuiæ Sarracenorum Principis, quem Baronius refert anno DC. LXXVIII. vitâ functum, Gizid filium suum Regni heredem reliquisse.

Ann. 678.
n. 16.

Nec verò etiam temerè quis existimet, hoc ipsum esse Sudarium, quod ad Christum honestè & piè componendum, refert Metaphrastes bea-
tam

15. Aug.

tam Virginem genitricem porrexisse Iosepho funeris curatori. *Mortuum videns Filium* (inquit) *eo motu animi usa est, ut oportuit; quin etiam in eo de cruce deponendo maternis manibus inseruiuit, & clauos qui extraherentur in sinu suo accepit, & membra illius amplexa est, partim quidem vlnis astringens, partim suis lacrymis plagas emundans: deinde tota toti corpori circumfusa, Ecce tibi ab omni seculo praesinitum mysterium ad finem usque venit, o Domine, placida voce dixit: & Iosepho in manus tradens* SVDARIVM, ait: *Tibi autem deinceps cura erit. ut sepultura tradens, hoc eum honeste componas, myrrhâ condias, & ei iusta facias.* Hæc Metaphrastes, cuius auctoritate ex antiquioribus desumpta monumentis vitur Baronijs.

Anno 34.

Neque textile illud munus per beatissimam Virginem solum concessum credimus, sed & fuisse monumentum manuum eius non immerito suspicamur: illa quippe (ut est in Prouerbijs) *quæ* Cap. vlt. *fuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.*

Cum primum dulces infans proferre loquelas.

Bapt. Mant.

Cæpit, & aduersis vestigia figere plantis;

• *Mater ei tunicas habiles ordita, nouumq;*

Vestis opus, niueo puerum velauit amictu,

Suspiciensq; polos, inquit, Date Numina vesti

Incre-

*Incrementa mea, pueri cum corpore semper
Crescat, & ad sanctos ultrò se accomodet artus:
Non gladium tineamve ferat, non trita senectæ
Cedat, & hæc nostri durent monumenta laboris.*

Inconfutilem enim tunicam Filij, operâ mirabili
texuisse creditur; nec non lineam eius adhuc pueri
subuculam consuisse, quæ è crassiore lino facta,
Romæ seruat in æde sacrâ S. Ioannis Latera-
nensis. *Aliud quoque à Sudario capitis Domini ali-*
quantò maius linteum fertur ab ipsâ contextum, duo-
decim Apostolorum, & ipsius Domini continens ima-
gines, uno latere rubro, & altero viridi. ex venerabili

Loc.cit. Beda. Ἀρεακτον eius, siue

— quem pollice torquens

Libratum tereti versabat turbine fusum,

Lib. 14.
cap. 2.

Pulcheria Augusta soror Theodosij collocavit
olim in templo Ἰων Ὁδηγῶν, auctore Nicephoro. Et
in oppido Aduaticorum Huo, seruat etiamnum
eiusdem B. Virginis glomus, filo sacris digitis di-
ducto & presso decorus. ita vt non temerè credi
possit, eam, quæ inter Ægyptios λινέργης καὶ λινο-
πλόκης vixerat aliquamdiu, obnubendo filio sepul-
chrale sudarium proprijs manibus laborasse; vel
saltem è linteo duplici, acu sacrâ per medium
consuisse; sic enim confectum cernitur Vesontio-
ne, futurâ per medium excurrente. Et sanè moris
fuit

fuit antiquissimi æui matronis, vela funebria texere propinquis & amicis. Penelope apud Homerum Laërti Heroi texuit simile linteum: & pretiosissimas vestes defuncto Pallanti,

— *lata laborum*

*Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas discernerat auro.*

CAPVT VII.

Novatorum sannæ & argumentum duplex in sacra Christi sudaria: Vefontinum sudarium cur institutarum notas non habeat. Exhibetur Lazarus suscitatus, vinculis nondum solutus.

VBIQUE proiectus ad calumnias Calvinus, in Christi præcipuè & Sanctorum reliquias virus suum euomuit. De sindone siue sudario Christi ita loquitur: *Ex hoc modo (sepulturæ Iudaicæ) luce clariores sunt imposturæ Papistarum: ostendunt enim linteum, in quo effigies integri hominis, unâ cum capite impressa apparet. at sindon tegumentum corporis, solum Christi corpus tegebat, vsque ad caput. unde ergo, vel à quo effigies illa cum capite; cum Christi caput non hac sindone, sed sudario fuerit velatum? Mirum quàm hoc argumento Calvinus exultet, insultetque Catholicis sacrorum Sudariorum cultoribus.*

E ribus.

ribus. Addunt alij eiusdem farinae, institas quoque debuisse in sindonibus repræsentari; quippe Iudæi soliti sunt mortuorum manus ac pedes, tænijs quibusdam ac fasciols siue institis religare, vt clarè exprimitur in Lazari sepulturâ: *Et statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius, sudario erat ligata.* Ab his omnibus se expedit Pingonius, pro Sindone Allobrogicâ pugnans, dum ait, eâ non fuisse inuolutum Christi corpus in sepulchro, iam ablutum & perunctum, sed tantùm cruentum, & de cruce recens depositum, ante pollincturam. Et verè hoc quidem ille, vt infrà pluribus confirmabo. Nobis verò de Sindone Vefontinâ, quam in sepulchro fuisse dicimus, incumbit explicare, quomodo caput simul cum reliquo corpore exhibeat, nullas autem ostendat institas, quibus manus pedesque reuincti sint. Et quidem Gretserus videtur ad miraculum confugere, etsi illam quoque quam Calvinus obijcit sepulturæ Iudaicæ formam, in dubium reuocari posse asserit. *Sed demus (inquit) id quod Calvinus tamquam certum sumit, Sindonem seu corporis inuolucrum, ad solum vsque caput pertinuisse, solumq; sudarium, totius capitis tegumentum fuisse, de quo, fortassis aliquis non immeritò dubitet: sed tamen demus hoc; an putat Calvinus Christum vel resurgentem,*

vel

1. de Cru-
ce c. 85.

*vel in sepulchro iacentem, tanta non fuisse potentia, ut
 sindoni totam suam effigiem imprimeret, licet totum
 corpus sindon non complecteretur? Fortè Calvinus
 crassâ quadam cogitatione ductus sibi persuadebat
 Christum esse similem plastis & fictoribus, qui ut ce-
 ram imagine alicuius insigniant, necesse habent totum
 exemplar cera applicare; vel pueris, qui totam corporis
 speciem dum in niue effigiare volunt, totum quoque
 corpus niui superiniiciunt. Hæc ille, & magnâ ratio-
 ne: non enim metienda est modulo nostro diuina
 virtus; & cùm certum sit, aliquid miraculi inter-
 uenisse in illâ sacrorum linteorum ad totius cor-
 poris similitudinem delineatione; tam facile Chri-
 sto fuit plura simul edere miracula, quàm vnicum.
 Quia tamen in rebus fidei ac religionis, non sunt
 nisi ex necessitate inuehenda miracula, maximè
 vt illorum imbecillitati consulatur, qui sunt *tardi
 corde ad credendum*, etiam in mysterijs ad salutem
 necessariis; duo mihi declaranda suscepi, quibus
 impiarum ratiocinationum tota vis infringatur:
 alterum, institas, siue fascias sepulchrales, in sepul-
 turâ Iudaicâ non extremis manibus dumtaxat &
 pedibus religatas fuisse funiculorum instar, sed
 totum cadauer, vno capite excepto, complecti so-
 litas, & circum illud conuolui: alterum, quòd su-
 darium capitis, ex ritu funeris Iudaici, totam ante-*

36 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
riorem corporis partem obtexerit. De hac poste-
riori quæstione agam capite sequenti ; nunc de
priori.

Igitur, quòd fasciæ sepulchrales, siue institæ,
toti corpori circumuolutæ sint, planè sicut fasciæ
infanti in cunis iacenti circumduci solent, indicat
Herodotus in Euterpe. Δέσαντες, inquit, τὸν νεκρὸν,
κατελίοντο πᾶν αὐτὸ τὸ σῶμα σινδόνι & βυσσίνῃ, τελα-
μῶσι καὶ τατέμηρῶσι. *Mortuum ubi abluerunt, totum
corpus eius in sindone byssinâ, incisís loris, obligant.*
Hæc ille de Ægyptijs, ex quibus plerosque ritus
suos hausere Iudæi : & significat non obscurè

Cap. 19. S. Ioannes, ubi dicit : *Acceperunt ergo corpus IESU,
& ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos
est Iudæis sepelire.* Ecce non pedes tantùm, aut ma-
nus, sed corpus ligatum dicit ; & quidem non an-
gustis tænijs, & quasi funiculis, sed linteis ; nempe
fascijs sepulchralibus, iustæ latitudinis, ex lin-
teis, seu lineâ telâ in longum recto filo abscissâ.
Firmat Augustinus loco iam suprâ citato : *Propter
sudarium, ait, quod capiti adhibebatur, & institas,
quibus totum corpus alligatum est.* Non ergo manus
solæ cum pedibus, institis colligari solitæ.

Sed quid ad illud Ioannis de Lazaro, qui voce
Christi excitatus, *statim prodijt ligatus manus & pe-
des institis?* hic vnus locus plerosque omnes mouit,

vt Iudaico ritu manus pedesque extremos proprijs vinculis seorsim à corporis trunco colligari solitos existimarent: sed propiùs intuenti aliud omnino videbitur; non enim mihi dubium est, quin institæ seu fasciæ, etiam Lazaro cum manibus pedibusque totum corpus adstrinxerint, vt pueris, qui fascijs inuoluti, Plinio dicuntur *iacere manibus pedibusque deuinctis*. Nonnus de Lazaro:

Procem.
lib. 7.

— καὶ ἐν ποδὸς ἄχει καρήνῃς

In Ioan.
cap. 11.

Σφιγόμενον πλεκτήσιν ὄλον δέμας εἶχε κερείαις.

Est à pede ad caput usque, habebat totum corpus constrictum nexilibus institis, seu fascijs sepulchralibus. Quid clarius? sciebat scilicet Nonnus vetustus Auctor, quas institas ad manus & pedes Iudaica consuetudo admitteret; nimirum quæ manus ad truncum complicatas, simul cum reliquo corpore, adeoque crura ipsa ac pedes inuoluerent. Cur ergo cum totum corpus fascijs constrictum esset, manuum dumtaxat ac pedum meminisse voluit Ioannes? quia id solum exprimi par erat, vt noui miraculi constaret ratio. Bina in Lazaro suscitato illustria miracula agnoscunt Patres, & quòd iam quartum diem mortuus reuixit, & quòd vocatus à Christo, uinctis licet manibus & pedibus, statim prodijt. O maximum, inquit Euthymius, ac duplum miraculum! non solum qui iam olebat resur-

E 3

rexit,

In Homil.
de Gratia-
rū actio-
ne, To. I.

rexit, sed etiam qui vinctus erat exiit de monumen-
to. Et S. Basilius, Ο νεκρός, inquit, ἐζωοποιεῖτο, καὶ ὁ
δεδεμημένος ἀπεπάται. Θαῦμα ἐν θαύματι, καὶ ἰσχύς δε-
δέως τὰς πόδας, καὶ μὴ κωλύεσθαι πρὸς τὴν κίνησιν. Ecce
mortuus à morte rediuiuus fit, ligatus quoque ambu-
lat. Admirare miraculum in miraculo; pedes institis
habebat vinctos, neque interim à motu prohibebatur.
Aptissimè igitur S. Ioannes de pedibus tantùm
& manibus Lazari vinctis meminit, quia à corpo-
ris trunco fascijs ligatum egredi de monumento
mirum non fuit: at surgere in pedes, & à tumulo
exilire, manibus ac pedibus constrictis, id enim ue-
rò insolens fuit, & *miraculum in miraculo*, vt ait Ba-
silius: quia ne viuus quidem & firmis viribus, si
toto corpore iaceat, artubus ligatis eriget se vm-
quam in pedes, cùm ad surgendum varia manuum
pedumque iactatio ac libratio necessaria sit, vt
docet experientia, & probant mechanici. Addo
rem in hoc negotio magnà obseruatione dignam.
Apud eruditos, per manus & pedes, artus integri
intelliguntur. Χειρὴ Hippocrates & Galenus di-
uidunt in brachium, cubitum, & ἄποχειρίδα, siue
extremam manum; pedem autem in femur, ti-
biam, & ἄκρον πόδα, seu pedem extremum. Ergo
Lazarus ligatus *manus & pedes institis*, hoc est, *to-
tos artus superiores & inferiores*. at quomodo quaeso
artus

artus integri ligari potuerunt, nisi truncus quoque corporis iisdem fascijs coërcitus est? Sensum nostrum iuuabit hæc pictura, Lazarum voce Christi suscitatum, & vinculis nondum solutum exprimens.



IESVS voce magna clamauit, Lazare veni foras, et statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus iustis, & facies eius sudario erat ligata. Joan. 11. 1

Ad illud igitur quod aduersus Vefontinum Sudarium affertur, nego institas in eo notari debuisse, aut

40 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
se, aut etiam absque nouo miraculo potuisse; cum
nec solos, nec nudos pedes extremos, manūque
adstrinxerint, sed toti corpori, quibusdam iam
vtriusque linteis obtecto, circumuolutæ sint.

C A P V T V I I I.

*Sudarium Vefontinum esse illud ipsum, quod S. Ioan-
nes dicit fuisse super caput Domini.*

I AM illud videmur non contemnendis conie-
cturis assecuti, Sudarium Vefontinum esse illud
sudarium capitis Saluatoris, de quo mira refert
venerabilis Beda, quodque ait longum esse pedes
octo. Sed ridebit Calvinianus & Bedam & Ve-
fontinos: illum, quod tam longum linteum puta-
uerit soli Christi capiti adhibitum; hos verò insu-
per, quod linteum, anteriorem totius Christi cor-
poris partem referens, pro capitis sudario osten-
tent, cum sudarium capitis in sepulturâ Iudaicâ
non nisi caput obuelarit, vt ex Ioanne manifestè
haberi videtur, qui vndecimo capite de Lazaro,
& facies illius, inquit, sudario erat ligata. & capite
vicesimo: *Et introiit in monumentum, & vidit lin-
teamina posita, & sudarium quod fuerat super caput
eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim
inuolutum in vnum locum.*

In

In hac causâ, quæ Bedæ cum Vefontinis communis est, duo habeo quæ dicam, ex quibus constet nec illum ineptè locutum, nec hos insulsè ratiocinatos. Primum est, in sepulturâ Iudaicâ fuisse sub institis linteamina quædam toti corpori partim substrata, partim superextensa, super quæ fasciæ adstrictæ sint; non autem ipsas institas nudo corpori circumductas. Hoc indicant Ioannes & Lucas, qui de linteaminibus, etiam à capitis sudario distinctis meminerunt, quæ non satis commodè quis explicet de solis institis; quamvis dixerit Ioannes, *ligauerunt illud linteis*: hoc enim non tam sonat, *ligauerunt illud fasciis ex lino*, seu *lineâ telâ*, quàm, *corpus linteis & sudariis comprehensum institis obligarunt*: alioqui Ioannes illis verbis sepulturam Christi non satis aptè explicasse videretur; ait enim, *acceperunt ergo corpus IESV, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut est mos Iudæis sepelire*. Sepulchrales omnes pannos vnâ *linteorum* voce exprimit: non ergo per *lintea* solas institas significat, sed & *sudarium*, cuius ipsemet expressè meminit capite vigesimo; & *sinonem*, hoc est vnum aut plura linteamina, quæ totum corpus sub institis obtegerent. Nonnus, quæ Ioannes appellat *lin-* In Ioan. cap. 20.
teamina, vocat ipse *ταφίας ὀθόνας, & λινέες χιτῶνας*,
sepulchralia lintea, lineas tunicas, siue amictus; quæ

F postre-

postrema vox de institis etiam lineis accipi non potest, nisi valdè improprie. Age verò, quì fieri potuit vel commodè satis, vel satis honestè, vt nudo cadaueri fasciæ circumuoluerentur? num periculum fuit, si solæ institæ adhibitæ sunt, ne quid intactum in corpore remaneret? Omnino, cùm pleræque gentes, ac nominatim Ægyptij, Herodoto teste, totum cadauer sindone ac linteis omni ex parte conuestierint. Quin id quoq; à Iudæis factitatum sit, nemo iure dubitauerit, idque sub institis, quæ ad coërcenda potiùs linteamina, totum corpus obtegentia, quàm ad corpus ipsum operiendum excogitatæ sunt.

Alterum addo, linteum illud, quod totam superiorem corporis iacentis partem à capite ad pedes obtegeret, rectè dici posse *sudarium capitis*, aut *faciei*. Docet Pollux in Onomastico, *sudarium* quandoque dictum priscis ἡμιτύμβιον; talemque videri sententiam fuisse Aristophani dum dixit: Ἐπὶ τὰ καθαρόν ἡμιτύμβιον λαβὼν, τὰ βλέφαρα ἀειέψνε. Deinde mundum prehensēs semitymbium, palpebras deter sit. ita interpres Pollucis penuriâ Latinæ vocis: quam si finxeris, ἡμιτύμβιον audacter verteris *semisepulchrale*; quasi dicas, linteum alteram tantum cadaueris partem contegens in sepulchro. Sed cur sudarium capitis & faciei? certum est, bonis

nis Auctoris caput præcipuam animæ sedem, pro toto homine plerumque sumi, & capitum nomine frequenter homines venire, quia (vt ait Ambrosius) *totus homo in capite residet*. Inter Græcos Libris Hexaëm. Sophocles dixit φίλατον κάρα, Plutarchus φίλας κεφαλὰς, Homerus θείην κεφαλὴν, Synesius ἱερὰν καὶ θείαν κεφαλὴν, Virgilius *dulce caput*, alij Latini *charum caput*, *festiuum caput*, *lepidum caput*; haud dubiè pro toto homine: *nemo enim ore contempto* (In Terët. ait Donatus) *ex aliis membris hominem velit significare*.

Sed propiùs: Anatomici caput humanum in duas partes diuidunt, capillatam vnā, τριχωτὴν, glabram alteram, ἀλόωπον: illa sincipite, vertice, & occipite constat; hæc, facies est, (quam Ruffus Ephesius ab exordio anterioris capillitij ad mentum vsque definiuit) soli homini concessa, per quam Deo similis esset. In homine viuente & recto, partes capitis capillatæ sunt superiores, & ob eas Vestales Virgines, & matronæ sacris operantes, rectè dictæ sunt *velari*, & capita earum *velamine tegi*. Vestalis velatæ typum habes in gemmâ veteri, apud Gutherium: Augustarum tectis Lib. de Iure Pont. peplo verticibus, in nummis Liuiæ, Paulinæ, & Faustinae vtriusque: etiam Neronis Poppæa, Tac. 14. Annal. *cùm egrederetur in publicum, velabat partem oris, ne satia-*
ret aspectum, vel quia sic decebat. De Iudæis id notat

Tertullianus: *Apud Iudeos tam solemne est feminis earum velamen capitis, ut ritè dignoscantur. Virgines Deo sacratæ flamine Virginali sanctum operiebant caput, Hieronymo auctore, & aliis, De $\tau\epsilon\lambda\chi\omega\tau\acute{\alpha}\varsigma$ in Sacerdote operto, Virgilius disertè:*

Ep. 8. ad
Demetr.

3. Æneid. *Purpureo velare comas adopertus amictu.*

Verùm in mortuis, & iacentibus supinis ad pol-
lincturam, ratio longè diuersa est; facies enim est
suprema, cæloque illuminatur, donec tegatur fu-
nebri peplo. Hinc Lazari resurgentis faciem Ioan-
nes appositè dixit *sudario ligatam*: & alibi de Chri-
sto, *Petrum vidisse sudarium, quod fuerat super caput
eius*, hoc est, super faciem eius, partem capitis in
iacente superiorem, potiorem & nobiliorem.
Namque obseruandum est ex allatis, opera
 $\tau\epsilon\lambda\chi\omega\tau\acute{\alpha}\varsigma$, propriè dicta fuisse *vela*, & *velamina*; *$\omega\epsilon\gamma\sigma\omega\tau\epsilon$*
autem *sudaria*. Velum Veronicæ, postquam
ex eius capite detractum est, & vultui Dominico
admotum, illicò vocatum reperies *sudarium*. Ve-
lum capitis, quod Plautilla Paulo Apostolo ad
mortem properanti porrexisset traditur, quo fe-
riendus gladio, ex more obduceret oculos, expleto
ministerio, illud ipsum nomine *sudarij* recepit;
quia scilicet Apostoli faciem tetigisset. sacrum
mantile, quod suo vultui Christus applicuit Ede-
fenorum Regi mittendum, exinde dictum est *su-
darium*.

Baronius
anno 69.
n. 10. & 13.

darium. Et si profana cupis, habes apud Tranquillum, *Neronem Casarem adoperto capite* (velo nempe) *& ante faciem obtenso sudario equum inscendisse, quatuor solum comitantibus*. Vnde colligo, sudarium non tantum fuisse de genere indumentium in mortuis, quorum madenti & nudæ cuti adhaereret; verum etiam in viuis, quorum facies operiret. Faciem porrò corporis, vetustissimi Latini, Pacuuius, Quadrigarius, Plautus, apud Agellium, pro totius corporis habitu, staturâ & longitudine dixerunt: vnde à facturâ totius corporis, Nonius *faciem* dictam censet: & superficies corporum dicta est quasi superior facies, siue anterior cuiusque rei aspectus. Antiquiores Hebræi faciem פנים *Panim* vocant, à radice פנה *Panah*, quod est *respicere*: Græci ὄψιν, & πρὸς ὄψιν, à videndo & prospiciendo; ita vt cuiusvis obiecti pars anterior, quæ sub visum cadit, rectè *facies* dici possit, rerum etiam inanimatarum, vt facies^a agri, facies^b templi, facies^c cæli & terræ. Quidni ergo capitis & faciei sudarium appellemus, linteum sepulchrale Christi Domini, toti antico corpori superinductum, antiquissimo more, quo Patrocli quondam à Troianis?

Lib. 13.
cap. 28.

^a Ezech.

^b Marc. 9.

^c Luc. 12.

Εν λεχέεσι ᾗ θέντες ἐανῶ λιτὶ κάλυψαν,
Ες πόδας ἐν κεφαλῆς καθύπεθε ᾗ φάρει λουκῶ.

Hom.
Iliad. Σ.

In lectum imponentes, linteo subtili texerunt

A capite usque ad pedes, de super autem albâ veste.

Forfan & de simili velo capiendus est Senecæ locus in Consolatione ad Marciam: *Tiberius Cæsar pro rostris laudauit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantum velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret.* Funebria eiusmodi velamenta priscis fuisse symbola noctis & mortis, ex anti-

Ann. 337
n. 19. 20.

quis marmoribus probauit Baronius: ego in sardâ veteri expressam habeo feminam stolatam, quæ manu sinistra velum præterdit, dextrâ inuersam facem extinguit, hoc pacto. Per id velum, non modò diei finem, quo caligo terris inducitur, sed & lucis vitalis terminum significari putato; maximè cùm auctor sit Pausanias, mortem esse noctis $\pi\alpha\upsilon\delta\alpha$

Lib. 5.



$\lambda\theta\upsilon\kappa\omicron\nu$, *puerum album*; planè quòd absente animâ corpora palleſcant; quodque albo linteo mortui contegantur, quale hæc femina præfert in gemmâ.

Stringo in aperto campo. Dixi, sudarium capitis & faciei dici posse, quod anteriorem & superiorem resupini corporis partem à vertice ad calcem obtegeret: habe alias rationes duas; quia ea solùm linteipars extabat supra institas in cadauere composito,

posito, quâ caput velatum erat: & quia sudarium caput totum complectens à collo religabatur: Lazari facies *sudario erat ligata.* & pro illo Ioannis, *sudarium quod fuerat super caput eius, reddit Testamentum Syriacum, quod ligatum fuerat in capite eius, siue, vt habent Biblia Regia, quo comprehensum fuerat caput eius.* Sic igitur Christi corpus inuolu-



Acceperunt corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Ioan. 19.

tum

48 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
tum puto: postquam lotum, & vnguentis delibutum est, substratum est sacro corpori linteum vnum, aut plura; iacenti ac resupino proximè superpositum sudarium, quod habetur in Ecclesiâ Vefontinâ. Alia fortassis adhuc adiecta linteamina, quæ anteriorem corporis faciem operirent: circumuolutæ deinde institæ à collo adusque imas calces: illa denique sudarij Vefontini pars, quæ à capite eminebat, vultum caputque totum complexa, tænijs ad collum religata est; & ob eam rem, hoc sudarium capitis & faciei dictum, quod Petrus monumentum ingressus vidit separatim inuolutum in vnum locum; quod Beda dicit fuisse pedes octo longum, quo nunc Vefontina Metropolis gloriatur. Neque quidquam prohibet, quò minùs supra Vefontinum sudarium, alia quoque linteamina adiecta sint, quæ etiam caput obuelarint, & toto corpore extensa sub institis coërcita sint, quæ fortassis asseruantur in varijs Ecclesijs, de quibus alio loco.

Græci Sacerdotibus mortuis (vt est in Euchologio) faciem velabant aëre, hoc est breuiori velamine, quo in Mifsâ τὰ ἄγια, panis scilicet & vinum ad futurum sacrificium tegebantur. Corpus Caroli Magni defuncti *vestitum est vestimentis Imperialibus, & sudario sub diademate facies eius operta,*

ex Monacho Engolismensi. Et non absimilem in
 morientibus superinducti minoris panni morem
 notauit Gregorius. *S. Cassius Narniensis urbis Epi-*
scopus moriturus, inquit, *assistentibus ipse suis ma-*
nibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi
contra faciem tenderetur: quo tenso spiritum emisit;
sicq; sancta illa anima ad gaudia aeterna perueniens,
à carnis corruptione soluta est. Sic affirmare nolim
 non fuisse breuius aliquod linteum, seu mantile
 foli capiti Christi velando vltimò omnium &
 extrinsecus adhibitum, quod fortasse habent Mo-
 guntini, vt infra referam ex Serario: sed nego vllò
 Scripturæ vel probi Auctoris testimonio hoc satis
 probari; cùm quidquid de sudario capitis legimus
 in Euangelio, rectè possit explicari de linteo, quod
 supra totam anticam corporis partem immediatè
 extensum, ad caput religatum, supra institas exta-
 bat. Et quamuis constaret talem breuiorem pan-
 num adhibitum fuisse, quod valdè dubium est:
 stat tamen suus honos, & præcipuè faciei seu capi-
 tis Christi appellatio Vefontino sudario, quod
 nudo Domini vultui applicitum, distinctissima
 eius impressa lineamenta prudentissimo cuique
 persuadent.

In Vita
Caroli.

Hom. 37.
in Euang.

CAPVT IX.

Sudarium Domini è Palestinâ Vefontionem perlatum, & quando: ostensionis eius ritus antiquior: non est cingulum Domini.

POST illustre & memorandum flammaram, quas euasit, miraculum, sudarium Domini in ciuitate Sarracenorum prouinciæ Palæstinæ maximo in honore est habitum; ibi enim *totus populus*, inquit Beda, *summâ ueneratione illud salutabat & osculabatur*, cum ratione miraculi perpetrati, tum propter Theandrici corporis effigiem, quam è Christi demortui contactu refert. Tandem verò è Palæstinâ perlatum est Vefontionem, vel eo nomine ter beatam. Sed translationis rationem, tempus, auctorem, inuidit sæculis posterioribus luctuosum illud incendium, quo Vefontina S. Stephani Ecclesia de cælo tacta anno MCCC. XLIX. miserabiliter deflagrauit: cuius cladis triste monumentum habes ex æneâ tabulâ, parte secundâ nostræ Vefontionis, in Hugone Sexto. De his certè translationis adiunctis parum refert, vbi de sacri pignoris sanctitate constat, ex diuinis præcipuè testimonijs, & miraculorum magnitudine, ac frequentia de quâ posthac aliquot Capitibus agam.

Ecquid

Ecquid enim facit ad Vefontini sudarij commenda-
 tionem, si scias Titium illud emisse à Sempro-
 nio anno Christi millesimo, tertio Kalendas Maij?
 annon rursus quæres vndenam haberet Sempro-
 nius? Apage mihi has hæsitantias, & malè sani
 cordis palpitationes. *Ritus Ecclesiæ, mores & tradi-
 tiones*, inquit Gregorius Nazianzenus, *non tam
 humanis ingenijs, quàm vi diuinâ, & temporis firmi-
 tate vigorem obtinuerunt.* Cùm de Reliquiarum ve-
 ritate agitur, maiorum traditio, consensus populo-
 rum in publicum cultum, facer horror spectan-
 tium & in melius mutatio, cacodæmonum fre-
 mitus, morborum immedicabilium depulsio,
 mortuorum denique fuscitatio (quæ omnia, &
 alia insuper non pauca, Vefontino sudario patro-
 cinantur) syngrapharum omnium & publicarum
 tabularũ fidem superant. *Ea quæ vulgò recepta sunt,*
 inquit Fabius, *hoc ipso quòd incertum auctorem ha-
 bent, velut omnium fiunt.* Neque tamen de sudarij
 sui origine nihil sciunt Vefontini: rem accipe cer-
 tam, mihiq̃ue multorum testimoniis exploratissi-
 mam. Tenent Marani è Galliâ Occitanâ (quibus
 in eo minimè sublesta fides, cùm pignus illud sa-
 crum penes se diutissimè habuerit gens illa Θεο-
 κρή, vt suprâ retulimus) *turbatis in Oriente rebus,*
 & *impietate Turcarum profanatis venerabilibus*
 G 2 *locis,*

6. Bell. fa-
cri, c. 23.

locis, eiectisq; inde cultuum diuinorum ministris, vt loquitur Tyrius, sacrum hocce linteum à feminâ quadam Iudæâ Christianâ, quæ illud in arculâ reconditum sedulò asseruabat, largâ satis numerorum copiâ redemptum, per quemdam Vefontinum primæ notæ virum, eumque Ecclesiasticum. nomen viri obliuione sepultum est: de conditione, cùm sacrum sudarium Vefontina S. Stephani Ecclesia post omnem memoriam possederit, non autem Ecclesia S. Ioannis, dignitate nihilo inferior, antiquitate etiam venerabilior, nihil dubitem id muneris Vefontionem deportatum à quopiam Ecclesiæ S. Stephani Canonico, qui tactus amore piæ militiæ, ad Terræ sanctæ recuperationem Hugonem Quartum Archipræsulem Vefontinum fuerit comitatus: in illâ enim primâ in Palæstinam profectio, *non erat in Regnis Occidentalibus* (verba sunt Tyrij) *qui aut atatis, aut sexus, aut conditionis vellet esse memor, omnes indifferenter manus dabant, omnes unanimiter corde & ore votum profitebantur; ipsi etiam Prælati & Presbyteri, dummodo* (addidit Pontifex) *Ecclesia per eorum absentiam enormiter non laderentur, essentq; futuri vtilis Terræ sanctæ, verbo pariter & exemplo.*

Tempus autem perlati sacri muneris, vix aliud esse posse existimamus ab initio duodecimi sæculi,

quo

quo hierostratæ Vefontini, socij Hugonis Quarti Archiepiscopi nostri, Stephani Comitis Burgundia, Rainaldi fratris eius, Vicecomitum Assonæ & Grayaci, Petri de Domnipetrâ, Gilberti de Treuâ, & aliorum Sequanicæ Prouinciæ Nobilium, rediere ex illâ populosâ, duce Gottefrido Bullionæo, in Palæstinam profectio. namque sæculis expeditionem illam præcedentibus, nulla extat sudarij Dominici apud nostros memoria. Quin & ipse S. Leo IX. Pontifex Maximus, qui anno M. XLVIII. Ecclesiæ S. Stephani maius altare cōsecrauit, in Diplomate, quod deinde anno M. LI. Canonicis concessit, ait, *vidisse se, & in altari basilicæ S. Stephani condidisse pretiosissimum S. Stephani brachium, iectibus lapidantium Iudeorum quassatum;* nullâ prorsus sacrosancti linteï factâ mentione; quod tamen si illic iam fuisset, & ipse oculis lustrasset, non videbatur omissurus. Statim verò post initium sæculi decimitertij, tangitur ritus ostensionis S. Sudarij, ex altari S. Stephani, die Paschæ, in quodam Rituum codice, quem scriptum cōstat ante vnionem Ecclesiarum S. Ioannis & S. Stephani, factam anno MCC. LIII. prout in nostrâ Vefontione fusiùs declarauimus, cùm in eodem codice mentio fiat Stephani illius Burgundiæ Comitis, *viri inclyti, vt ait Tyrius, & nobilitate insignis;*

54 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
in Terrâ sanctâ defuncti. Quæ cùm ita habeant, si
chronologicam normam adhibeas, comperies,
sacri muneris ad nos perlationem non aliud in
tempus meliùs referri, quàm in annos millesimo
centesimo circumiectos: qui annus vt Leone No-
no posterior est, ita integro sesquisæculo antece-
dit ætatem codicis Ritualis; qui morem ostensio-
nis, non vt planè nouum videtur describere, sed vt
aliquot annorum decursu iam celebratum, & qui-
dem pio mysterio, quod tale fuit:

In die sancto Paschæ, inter Matutinas preces,
prodibant è Sacrario tres Canonici simul canen-
tes: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?*
ad quos, cùm ad Altare maius accederent, alati
pueri, eo amictu redimiti, quo cęlestes genij depin-
gi solent: *Quem quaritis?* illi verò: *IESVM Naza-*
renum. rursus alati pueri: *Surrexit, non est hic.* deinde
Cantor ad priorem è Canonicis: *Dic nobis Maria,*
quid vidisti in viâ? tum respondebat Canonicus:
Sepulchrum Christi uiuentis, & gloriam vidi resur-
gentis. mox secundus: *Angelicos testes, sudarium &*
vestes, ostendendo S. SVDARIUM quod gestabat.
tertius demũ: *Surrexit Christus spes nostra, præcedet*
vos in Galileam. ad quę Chorus dexter: *Credendum*
est magis soli Maria veraci, quàm Iudeorum turba
fallaci. Chorus sinister: *Scimus Christum surrexisse*
à mor-

à mortuis, &c. omnes denique vnà ritum claudebant Ambrosiano Cantico, *Te Deum laudamus.*

Vaticinium quidam agnoscunt in Abbate Ioachimo, de sudario Christi aliquando euoluendo. sic enim ille in Psalterium: *Satis est nobis videre sudarium, quod fuit super caput IESV. illud autem explicare nobis non licet, nisi fortè in illum diem, in quo constituit Dominus.* Sed mysticè loquitur, alludens ad sudarium quod Petrus vidit in monumento, separatim inuolutum, quasi dicat cum Apostolo: *Videmus nunc per speculum, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Ceterùm ab omni sensu & historix veritate prorsus aliena est eorum coniectura, qui gratis volunt in Ecclesiæ Vefontinæ monumentis, vbi recensentur pia Theodosij Secundi munera, per *cingulum siue balteum Dominicum*, intelligi debere S. Sudarium Christi: quam sententiam hoc mihi fortiùs reuellendam putavi, quòd à nonnullis absque fundamento iactata induxit R. P. Iacobum Gauterium, vt in suâ Chronologiâ diceret, Sudarium Christi anno Domini CD. XXXIX. missum fuisse Vefontionem à Theodosio Secundo. Igitur (vt taceam de anno sacrorù munerum Theodosij, qui probari non potest, quòd sit quadringentesimus trigesimus nonus, ex his quæ in
historiâ.

56 DE LINTEIS SEPULCHR. CHRISTI
historiâ nostrâ Vefontinâ retulimus) clarum est,
præcipuum Theodosij munus fuisse brachium
S. Stephani Protomartyris, cuius corpus per Lu-
cianum Presbyterum, in villâ Palæstinæ Ca-
phargamalâ fuerat repertum anno C D. XV. alia
verò ipsi tantùm addita tamquam paradora,
hoc ordine: *B. Maria pectinem, & tantillum de ca-
pillis eius; cingulum quoque Dominicum; necnon san-
ctorum martyrum corpora Epiphaniij & Isidori,
& caput S. Agapiti.* vt vel hinc maximè appareat,
cingulum Domini non esse *sudarium* eius, aliis
quibuscumque muneribus prænotatis alioquin
anteponendum. Deinde Hymnus perantiquus
à nobis in Celidonio relatus, cingulum illud per
Theodosium missum, zonam Christi fuisse cla-
rè indicat:

*Magnificemus Virginem,
Cuius habemus pectinem,
Crines, cingulum filij,
Sui cumulum gaudij.*

Alludit pius Poëta ad sensum voluptatis, quo per-
fufam par est credere Virginem Deiparam, quo-
ties puerum IESVM filium suum, speciosum
formâ præ filiis hominum, zonâ illâ præcinge-
ret, quæ constantissimè in omnibus Ecclesiasticis
lectionibus, vbi fit mentio munerum Theodo-
sianorum,

fianorum, vocatur *cingulum*, vel *balteum Domini-*
cum; nusquam autem *findon*, aut *sudarium*; quod
 alioqui matri amantissimæ, vulnerum potiùs
 refricatio quàm gaudij cumulus fuit. Tertio,
 (quod omnem dubitationem tollere debet) Su-
 darium Christi religiosissimè custoditur in Ec-
 clesiâ S. Stephani; cingulum verò Dominicum,
 per Theodosium missum, seruatur (saltem pars
 eius) in S. Ioannis Euangelistæ Sacratio, argen-
 teâ hierothecâ conclusum, palmaris longitudi-
 nis, latitudinis pollicaris, Orientalis texturæ, co-
 loris purpurei subobscuri, cum hoc titulo præ-
 fixo, DE CINGULO DOMINI. Sed pergamus,
 & ipsas voces, quas ab Auctoribus vim sumere
 Fabius censet, pensiculiùs examinemus. Iam-
 pridem colimus litteras, necdum nobis occurrit
 Auctor aliquis, qui voce cinguli absolutè, pro fin-
 done aut sudario sit vsus. Cingulum à cingendo
 dici volunt Varro, Nonius Marcellus, & alij La-
 tini: Hebræi חַגּוֹר *chagor* vocant: Chaldæi זֹנָרָא
zunara, Græci ζώνη, ζώνια, ζώματα; & verbum
 ζώνω, quod est *cingere*. Zonarum verò quædam
 latæ sunt, aliæ strictæ, mediæ nonnullæ. Isidorus,
Cinctus, inquit, *est lata zona; & minùs lata, semicin-*
ctium; & utrisque minima cingulum: nam à cincto
per diminutionem cingulum nominatur. Zonâ strictâ

H siue

58 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
 siue cingulo Christum esse vsum, extra contro-
 uersiam est: nam Hebræi, qui laxiores vestes ge-
 stabant, eas cingulis constringebant. *Præcepit ipse*
discipulis suis, ne asferrent in zonâ. & Ioannes eius
 prodromus, *erat vestitus pilis cameli, & zona co-*
riacea circa lumbos eius. Balteus etiam, *cingulum mi-*
litare Isidoro, pro sindone aut sudario numquam
 est vsurpatus; pro zonâ verò sacerdotali, quæ erat
 inter vmbilicum & pectus, sæpissimè, vt è Sacro

contextu referunt ^a Hieronymus, ^b Sigonius,
^c Adrichomius, ^d Ribera, atque ^e Benedictus A-
 br. cap. 2. rias Montanus, qui præterea producit summi
^f InThea- Sacerdotis sanctis vestibus & ornamentis instru-
 tro n. 85. cti figuram ex descriptione Moysis, cum tunicâ,
^g DeTem- superhumerali, balteo, vittis, & reliquo apparatu.
 plo lib. 3. cap. 17. Vnus est locus Nonni in caput Ioannis vigesi-
^h Ant. Iud. mum, quem vtrò aduersarijs porrigo, ne cui vi-
 lib. 6. deat consultò dissimulasse:

— Υ' πῆ δαπέδοιο δ'ε γυμνῆ

Σύζυγας ἀλλήλοις λινέας ἐνόησε χιτῶνας,
 Καὶ κεφαλῆς ζωστῆρα παλίλλυτον ἀμμαπχάιτης,
 Σεδάρον ἔπει εἶπε Σύρων Ἰπιδήμιθ' αὐδῆ: id est,

Super nudum autem solum vidit coniunctos inter se
lineos amictus, & capitis cingulum resolutum nexu
comæ, quod popularis Syrorum vox dixit Sudarium.
 Sanè ζωστῆρ, cingulum est siue balteus; & cum ad-
 iuncto

iuncto κεφαλῆς, potest significare sudarium, quippe quod ad caput religabatur; at sine illo adiuncto ineptè pro sudario vsurparetur: nusquam autem Vefontinæ tabulæ docent missum Vefontionem à Theodosio *cingulum capitis Christi*; sed absolutè *cingulum Dominicum*: & alia quæ attuli rem fatis probant.

C A P V T X.

Alia sacra pignora ex Oriente cum S. Sudario Vefontionem allata.

VT nemini mirum videatur Hierostratam Vefontinum, pretiosum Sudarij Dominici munus è Palæstinâ ad suam Ecclesiam attulisse; sciendum est, vigente immani & barbarâ Turcarum persecutione, & imminente Christianæ religionis in Oriente naufragio, eduçta è Sacrijs, & per Christianos quouis modo recondita Ecclesiarum pignora. Post captam Antiochiam, tertiâ mensis Iunij, anni M. XC VIII. *effosâ terrâ, in Ecclesiâ Principis Apostolorum, ait Tyrius, lanceam, quâ Christi latus fuerat perforatum, sacri milites repererunt.* & sequenti anno M. XC IX. captâ Ierosolymâ, die decimâ quintâ Iulij, per eosdem inuenta est *portio Dominicæ Crucis*; idq; monitu &

H 2 bene-

60 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
beneficio cuiusdam hominis Syri, qui tam pretiosi depositi conscius fuerat. Hisce planè diuinis opibus illecti præ alijs Galli, sacra *λείψανα* quæ vi quæ pretio à detinentibus hac illac extorsērunt. Girardus Hallianus ex antiquioribus refert, eos sanctæ illi prædæ adeò intentos fuisse, vt nihil prætereà è bello sacro in patrium solum retulerint. & verò sacris eiusmodi rebus, Ecclesiæ Gallicæ sunt ditissimæ. Eamdem Vefontinis mentem fuisse quis neget? Henricus præclarus Comes, Vefontione natus, qui Regum Lusitaniæ parens extitit, ad sacrum illud bellum profectus, ab Imperatore Byzantino plures Diuorum reliquias accepit, & in his *brachium S. Luca*, quod magnâ religione seruatur Braccaræ in Regno Lusitaniæ; *ex Actis Regum Vasconcellij recens editis.* Ita munificus noster Ecclesiasticus (cui æquus est remunerator Deus) sacrosanctum D. N. IESV Christi Sudarium nobis attulit, quo Vefontio nostra felix æternùm seruaretur. Alij eiusdem sacri exercitus Proceres tunc ad nos etiam aliquid *de præputio Domini, de spinâ coronæ, de spongiâ, de simbriis vestimentorum eius*, quæ aureis & argenteis hierothecis conclusa singula, habentur in Sacrarijs Metropolitanis; vbi prætereà seruantur Græca duo notatu dignissima. Primum est in
Eccle-

Ecclesiâ S. Ioannis, quidam vetustatis adorandæ liber, textus Euangeliorum continens, qui solet in publicis Supplicationibus per aliquem è Canonicis ante pectus gestari; *Sapphirum* vulgò vocant, credo ob varias quibus exornatur gemmas. An sapphirus quasi Euangelium? nam סֹפֶר *sopher* Hebræis *Notarium & Euangelistam* sonat, à radice סָפַר *saphar*, quod est *narrare & scribere*. Eburneo tegumento quasi diptychi veteris est opertus, in quo imago Christi media est, hinc inde sunt coniuges per eum vniti, Flavius Romanus Diogenes Augustus, & Eudocia vidua Constantini XII. Ducæ Imperatoris. Ecce tibi iconisimum paginâ proximè sequenti.

Hi supremū Thraciæ diadema sumpsere simul (teste Baronio) Idibus Ianuarijs anni M. LXVIII. annis tantùm duobus supra triginta, ante annum M. C. circa quem proximè Hierostratam nostrum Sudarium Dominicum nobis credimus attulisse: & eò magis indicare id videtur quodammodò prænotati libri veteris tegumentum, quod in angulo sinistro inferiori decoratur æquæuo margaritinæ conchæ fragmento, in quo Christi vultus (qualis in S. Sudario) in expanso per Angelum linteo expressus egregiè cernitur.



Alterum militum nostrorum munus seruator
 in Ecclesiâ S. Stephani; Caput S. Ioannis, Christi
 causâ mendici, cognomento Calybitæ, de quo
 Martyrologium Romanum editum cum Notis
 Petri Galefinij, sic habet: xv. Ianuarij, in Bur-^{An. 1583.}
 gundiâ, S. Ioannis Calybitæ, cuius sacrum corpus
 multis clarum miraculis Constantinopoli quiescit, ca-
 put Chrysoptoli religiosè asseruatur. Molanus idem
 notat eadem die: S. Patris Calybitæ, cuius pre-
 tioso capitis thesauro, urbs Chrysoptolitana incom-
 parabiliter ditatur. Cranium illud, cum allatum
 est ex Oriente, thecâ æneâ recondebatur, cum
 argenteo circulo, cui inscripti erant Iambici
 Græci duo: pro quorum explicatione (admirare
 simplicitatem æui) anno M. CCC. XXI. Auenionem
 profectus Ioannes de Corcondrayo Canonicus
 Vefontinus, chartam quamdam à Græcis duo-
 bus Episcopis obtinuit, quam quia omisimus in
 Vefontione nostrâ, hîc ad longum exhibemus.

Nos Olinanus Dei gratiâ Episcopus Amazondo,
 Visitator de Limezo & Correo in insulâ Cypri: &
 nos Leondios Dei gratiâ Episcopus Solia, ac Visita-
 tor Nichocia, in eadem Cypri insulâ: notum facimus
 vniuersis, quod ad presentiam nostram accedens
 vir venerabilis & discretus D. Joannes de Cor-
 condrayo Scholasticus & Canonicus Bisontinus,
 quem-

quemdam bacinum cupreum, cum quodam circulo argenteo, quasdam literas Græcas in se continente, nobis Avinione in nostro hospitio presentavit, asserens quoddam caput esse in Ecclesiâ Bisontinâ S. Stephani, quod inuentum esse dicebat in bacino prælibato, nobisq; supplicavit humiliter, quatenus dictas literas Græcas exponere, siue transferre de Græco in Latinum siue Gallicum dignaremur. Visi igitur per nos cum diligentia literis antedictis, bacinum & circulum prædictos, cum magna deuotione ac reuerentia, iteratè ad osculum, propter auctoritatem sanctissimi capitis, quod ibi describitur, recepimus, prædictasq; literas Græcas, unâ cum Nicholino Lyonciue Rhodensi, Magistro Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, Protonotario, ac Thesaurario dicti Hospitalis, scribâ, de Græco in Gallicum exposuimus, siue transtulimus, per modum subsequenter. Hæ sunt literæ Græcæ circuli argentei:

XEIP MEN BEBHAOC TIMIAN CTNΘAA KAPAN:

AAA' ETCEBHC XEIP IQANNOT CTNΔEEI.

Sequitur dictarum literarum Græcarum expositio:

Les mains de la maule persone, & hereige,
 Ceste sainte teste de S. Iean Callybiti despira:
 Et les mains dou iuste, & vray proud homme,
 Ceste sainte teste de S. Iean Callybiti adorera &
 prisera.

Sanè

Sanè sciant omnes & singuli, quòd iste gloriosus Dei Sanctus, videlicet beatus Ioannes Calliiti, cuius caput gloriosum per prædicti circuli literas Græcas describitur, cuiusq; corpus sanctissimum in ciuitate Constantinopolitanâ sine capite feliciter requiescit, in tot & tantis miraculis refulget, & in tantâ reuerentiâ in dictâ ciuitate & per totam Græciam habetur ab vniuersitate fidelium, quòd inter Sanctos Dei, iste beatissimus Dei Confessor, post gloriosum Ioannem Baptistam, à Christi fidelibus totius Græcia & partium circumadiacentium præcipuè veneratur, & etiam communiter adoratur; Festum cuius annuatim quintâ decimâ mensis Ianuarij solemniter celebrari consuevit, & in ipsius Vigiliâ ieiunium communiter obseruatur. In cuius rei testimonium, ad gloriosi Confessoris laudem, & eius sanctissimi Capitis reuelationem, sigilla nostra vnâ cum sigillo prædicti Nicholini ciuis Rhodensis, presentibus literis duximus appendenda. Datum, translatum, siue expositum, Auinione, in multorum fide dignorum præsentia, anno à Natiuitate Domini M. CCC. XXI. Indiçtione IV. die XVII. mensis Aprilis, Pontificatus sanctissimi Patris & Domini, D. Joannis diuinâ prouidentiâ Papæ XXII.

Huc vsque charta Græcorum Antistitum, in quâ quia versus illos Iambicos Gallicè dum-

I taxat

66 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
taxat, & periphraſticè reddiderunt, ſic nos ad ver-
bum Latinos fecimus:

*Manus quidem profana venerandum contundit
caput;*

Sed pia manus Ioannem veneratur.

Conſtat, (ex eius historiâ apud Metaphraſtem)
eum, cùm mater tamquam ignotum mendicum,
& aspectu horridum, domo egrediens ſummo-
ueri mandasset, per vim abreptum fuiſſe; & pro-
babile eſt tum pugnis caput eius contuſum à facie
feruorum. Poſteſt etiam dici, vocem *ἰωάννης* in ſe-
cundo verſu, ad *καέων* referri; adeoquæ verti,

Sed pia manus Joannis [caput] colligat.

alludendo ſic ad circulum argenteum, quo capſa
capitis ænea cincta erat.

C A P V T X I.

*Sudarium Veſontinum miraculis illuſtre: amiſſum,
recuperatum; eius vi mortuus ſuſcitatus, & æger
perſanatus.*

VIDIMVS ſuprà ex Bedâ, Sudarium Domini,
cùm adhuc in Palæſtinâ ſeruaretur, magno
miraculo medijs è flammis intactum euaiſſe,
Mahuuiâ Rege Sarracenorum ſpectante, circa
annum incarnati Verbi DC. LXXV. Superſeſt vt
aliquot

aliquot illustriora ostenta, quibus voluit Deus sanctitatem eius omnibus gentibus, & maximè Vefontioni conspicuam esse, breuiter commemorem; eaquæ solùm quæ indubitata sunt fidei, ne lapsu sæculorum consenescant, & ex hominum memoriâ oblitterentur. Ordiam autem à mortui cuiusdam anastasi.

Basilica S. Stephani fulmine icta, anno Domini M. CCC. XLIX. incendio latè grassante deflagruit; & plurima Ecclesiastica supellex, plurimæque hierothecæ flammis absumptæ: quod superfuit sacrorum pignorum, collectum sine ordine, & in scriniolum congestum est, quod exinde *Capsa omnium Sanctorum* est nuncupatum. Sudarium Domini, quia sedulò inquirentibus non occurrerat, creditum est vnà cum alijs diuinis rebus exitium passum. Tantæ iacturæ fides apud omnes paulatim creuit, ac tandem obfirmata est; ita vt memoria S. Sudarij fermè iaceret. Sed Deus non est passus pretiosissimi sui Sanguinis in illis latebris diu remanere vestigia: etenim post aliquot annos insperatò repertum est, & magno miraculo. Aduerterunt non semel è quodam abditori Ecclesiæ loco splendorem inusitatum emicare, Clerici choro ministrantes; qui subinde diuinæ virtutis significationem esse, & ibi τὸ θεῖον latere

68 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
arbitrati, rem totam Canonicis denuntiarunt. Ho-
rum iussu citra moram inquisitum, nec irrita la-
bore: nam Sudarium Domini illuc temerè inie-
ctum, in extremo ignis casu (vti solet) integerrimum detectum est, illæsum flammis, nec vlllo situ labefactatum. Stupere omnes hoc viso prodigio; multi tamen adhuc addubitare, num hoc reperi-
tum, legitimum Sudarium, an verò supposititium esset censendum. Ad hoc accersiti eximij pictores duo, qui effigie sacrâ inspectâ, eam nullis colorum pigmentis aut fucis adumbratam, nec hominum manibus exaratam asseruerunt; sed sanguineis omnino vestigijs & vnguentis diffusum colorem, vno ore semper professi sunt. Accessere noua in dies prodigia, quæ vim cælestem indicabant; vnde magis magisque celebrari cœpit & credi, non aliud esse, quam quod fuerat à maioribus acceptum. *Hæc ex auorum traditione & chartis antiquis:* quibus non absimilia habentur in vetusto quodam codice Ecclesiæ S. Iacobi Rhemensis, vbi postquam narratum est Vesontionem Christi Sudario insignem esse, idque aliquanto tempore deperditum fuisse; asseritur deinde tandem reperi-
tum, & ob agnitam in eo diuinam Christi imaginem, ipsissimum Christi Sudarium iudicatum, & verò comprobatum miraculo, quandoquidem

dem

dem contactu eius homini demortuo, ac proximè terrâ condendo, vita est restituta; eo planè modo, quo cadauer ad sepulchrum Vatis Elisæi, cùm tetigisset ossa eius, *renixit homo, & stetit supra pedes suos*. Fidei suæ stabilitorem aduocat Rhemensis ille codex, quemdam Robertum Sunellam in allegoriâ de obitu B. Mariæ Virginis; *Nec desunt, addit, oculati testes, quorum chirographa in Ecclesiâ Bisontina archiujs habentur*. Volutanti animo mihi, & seriò pensitanti, quisnam illius libri Rhemensis acephali auctor censerî possët; vnus occurrit Richardus Pica, Vefontione oriundus, qui sæculi illius decimiquarti anno septuagesimo septimo; octauo supra vigesimum ab incendio S. Stephani, Rhemensem Archiepiscopatum est affecutus: quo tempore credibile est S. Sudarium recuperatum miraculo illo percelebri, quod quia in patriâ suâ contigerat, scriptis consignari voluerit ille Richardus Archipræsul, quem Historici Rhemenses fato functum scribunt Rhemis anno Domini M. CCC. LXXXIX. Vnicum eius *μνημόστυον* reperi Vefontione, argenteum cuiuspiam S. Præfulis sesquipedale signum, quod Ecclesiæ S. Petri obtulit, nomine suo sub gentilitijs scutis adscripto.

Ab hoc miraculo, & plerisque alijs, maiorum neglectu minimè consignatis, in magno cultu

S. Sudarium fuit: & toto sequenti sæculo decimo quinto, votorum feruor & numerus cœpit augeri, magnâ vndequaue multitudine concurrente, ad illud spectandum & adorandû, in Ecclesiâ S. Stephani: quâ tandem admittēdis populis angustiore visâ, theatrum extra illam excitatû est, primò temporarium & ligneum, anno M. D. XXII. ex Capituli regeſtis; dein verò perenne & lapideum, è quo bis quotannis, scilicet die Paschæ, & Dominicâ post Christi Ascensionem, Matutinis horis, populo spectandum proponeretur, in Cælio, siue S. Stephani monte, qui ad id aptissimè videtur à naturâ compositus: deuexus quippe, & ita sensim decliuus in vertice, vt exinde tamquam ex immenso theatro circumstantes omnes sacra stigmata distinctissimè cernant, nec à primis postremi, nec remotiores à proximioribus vlllo pacto impediuntur.

Anno eiusdem decimi quinti sæculi trigesimo primo, Leonardus de Grueriis Canonicus & Officialis Bisontinus, dum ancipiti morbo conflictaretur, à Collegis suis adferri sibi & ad moueri S. Sudarium postulauit: quo impetrato, eum pristinæ valetudini illicò restitutum fuisse, Capituli Acta testantur. Pollebat dubio procul eadem fide, quâ olim hæmorrhoiſſa mulier, quæ *ſimbriam* vestimenti Saluatoris contingens, *salua facta est ex*

Matth. 9.

est ex illâ horâ. Idem aliàs in Oriente factum ostendimus inferiùs, virtute cuiusdam imaginis Christi ἀχρηστούτης, in ædes Mariæ Patritiæ languentis importatæ. Non diu tamen inualuit mos ille deferendi S. Sudarium in priuatas ægrotantium domos; eum quippe circa annum M. D. XL. abrogatum legimus: quo etiam tempore, cum miraculorum & beneficiorum fama commoueretur, vt pretioso linteo maior exhiberetur veneratio, è veteri ἱεργ. τεύχῳ, quod altari maiori subiacet, ad amplius sacellum translatum est, & ibi decentissimè (argëteo scriniolo gentilitiis insignibus Nobilium *de Vasis & de Viletâ* ornato conclusum) super altari in armario est collocatum. Extruxerant pridem hoc sacellum S. Maimbodo Martyri Comites Môtis Beligardi, quod deinde Garnerius & Monriuellius Canonici pictis tabellis & cancellis, vnâ cum prædicto Leonardo de Gruerijs locupletarunt.

CAPVT XII.

Hæreticus impudens causo absumptus: ciuis grauissimè laborans, & Bonus Archiepiscopus curati: obiter de Magnatum donarijs.

ADEFVNCTI suscitatione, nullum miraculum illustrius eo quod è Codice manuscripto didici:

72 DE LINTEIS SEPULCHR. CHRISTI
didici: nimirum cum tantæ erga S. Sudarium religionis & celebritatis frequentiâ offensus quidam externus hæreticus fremeret; & odium, quod in Christum ipsum non poterat, in eius Sudarium profunderet, affirmavit, si facultas esset, se protinus illud flammis iniecturum, & in cineres redacturum. Non diu nec impunè id tulit impius: etenim repente correptus est intestino causi incendio, & arsit flammis vltricibus, qui talia ore sacrilego in diuinum Sudarium fuerat debacchatus. Tempus Codici minimè est adscriptum, verùm è scripturâ apparet eum esse peruetustum. Incerto quoque tempore ibi narratur aliud vetus, de Bisontino quodam ciue, qui vniuersi corporis turbatâ *regod*, diuturnis omnium membrorum doloribus ad eò miserè torquebatur, vt attingi se vel mollissimis digitis vix pati posset, quin erumperet in clamores, & ægrè dolentium querelas: occurrit ei S. Sudarij pia cogitatio, votum Christo nuncupat, seque beneficij non immemorem pollicetur. nec morâ, sentit vires sibi restitui, sedantur dolores, & perit morbus. sanus & voti reus montem conscendit, grates peragit, tabellâ miraculum testatus, in quâ rem gestam versibus Gallicis, pijs magis quàm bonis, etiamnum descriptam habes.

Anno

Anno deinde M.D.XLI. xvii. Iunij, Antonius de Vergeyo Bisontinus Archiepiscopus, à profusiori in egenos liberalitate *Boni* cognomentum fortitus, cùm annum ætatis quinquagesimum septimum iam attigisset, Giaci in castro suo, forti apoplexiâ correptus est: ἀπνοία ἔα φωνία laborantem, & ab assidentibus pro desperato habitum, domestici Christo Seruatori in Sudario Bisontino diuinitus depicto calidè vouent: illorum preces & vota exaudit Deus, & ad cultum Sudarij sui magis magisq̃ue promouendum celebre patefacit miraculum: ecce enim sospitem inopinatò virum summum, qui postquam gratias Deo Vefontione persoluit, statuam habitu Præsulis supplicantis collocauit in S. Sudarij facello, quò patratum in se miraculum posteris testaretur. Obiit postea placidè, & integris sensibus vsque ad vltimam periodum xxix. Decembris eiusdem anni M. D. XLI.

○ Cleriadus de Vergeyo Aurei velleris Eques, & in præsentiarum liberæ Burgundiæ pro Catholico Rège Governator, à cultu & veneratione maiorum erga S. Sudarium nullatenus deflexit; etenim quotiescumque præsentit publicè euolendum, è castro Grayacensi Vefontionē pergit, vt illud veneretur; quin & anno elapso M.DC.XXI. lam-

K pa-

74 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
padem argenteam benè grauem (infigne munus)
inibi obtulit, adiectâ numeratæ pecuniæ summâ,
cuius prouentus annuus oleo ministrando abundè
suppeteret. aliam ex eodem metallo affabrè labo-
ratam pridem appenderat Claudius de Rye Baro
à Balançon, legionis Burgundicæ in exercitu
Belgico Catholici Regis Dux veteranus. Alij
huiusce nostri æui Magnates muneribus votiuis
affectum erga S. Sudarium maximè sunt testati,
quæ loci religionem faciunt insigniorem. Nimis
longum esset singula hîc recensere: vnum inter
alia memoratu dignissimum est, vexillum mili-
tare vetus & lacerum, quod à nobis ibi visum,
cum hac suppositâ epigraphe:

*Enseigne du Conte de Hornes, gaignée par les Mo-
res en la Gollette de Thunes, & depuis recourrée par
les Chrestiens à la prise dudit Thunes, & vouée
au saint Suaire de Besançon.*

Golleta arx est Tuneti in Africâ munitissima,
quam anno salutis M. D. xxxv. cum oppido ipso
expugnauit Carolus V. Imperator, pulso Barba-
rossâ, cæsoque magno Turcarum numero.

Lotharingæ Principes feminæ non ita pri-
dem S. Sudario præsentis vota reddiderunt, ac
præclara munera postmodum miserunt, magni
pretij sacra indumenta. Adfuit etiam cum votis
nuper

nuper è Galliâ Condæi Principis mater Princeps. Sed munificentiam præcelluere ceteris Serenissimi Archiduces Austriæ Albertus & Isabella sanctissimi coniuges, tum missis ad altaris S. Sudarij decorationem sericis ornamentis auro intextis; tum magnâ pecuniæ summâ collatâ, ad Odei sublimis & marmorei in Ecclesiâ S. Stephani exstructionem, cuius primarius lapis positus v. Idus Maij, anni præsentis M. DC. XXIII. procurante Ill^{mo} ac R^{mo} D. Francisco de Rye, Archiepiscopo Cæsariensi, Archiducum prædictorum magno Eleëmofynario, Metropolis Bisfontinæ maiori Decano.

CAPVT XIII.

Cæci cum fide visum recipiunt : ex oculis laborantes persanantur : aliis ad tempus adimitur visus.

ANNO Domini M. D. XXXVI. instabat Festum Paschatis, quo numerosa populi turba, S. Sudarij visendi causâ, Vefontionem confluit; Nicolaus quidam Rozius de Milleyo pago, prope oppidum Iussæum, iam pridem oculorum cassus lumine, illuc proficisci optat : ille eò redactus erat egestatis, vt neminem qui gressum regeret, duceretque ad illud celeberrimum perfugium, nan-

K 2 cisci

cisci posset. Quid agat infelix? gnarus quâ horâ S. Sudarium aduenis spectandum explicari solet, eo ipsissimo tempore versus Vefontionem genibus aduolutus, absens corpore, præsens animo fundit preces, & lucem petit. Rem miram! aperiuntur ei oculi è vestigio, & clarè cernere incipit: recepto visu ad votum exsoluendum sine præuio scipione, vt solebat, facellum adit, & tantum miraculum voce clarâ & oculis profitetur, quod testes quamplurimi, sensibus arbitris, fide datâ, signoque apposito confirmarunt, vt ex instrumento publico constat.

Non absimile contigit anno M.D. LXXII. præfente Cardinali & Archipræsule Claudio à Baumâ: cum enim ostenderetur publicè S. Sudarium, in gratiam Antistitæ cuiusdam Augustodunensis, adfuit ibi, inter promiscuum vulgus, annosa quædam mulier, vtroque lumine orbata, quæ S. Sudarium cultu religiosissimo venerata, videnti facultatem protinus recuperavit, ipsumque S. Sudarium dilucidè perspexit.

Illud porrò crebris exemplis est comprobatum, eos qui ex oculis laborant, S. Sudarij inspectione, aut contactu subinde sanari; eorumque aciem vix hebescere, qui debitâ vallati fide, id multoties inuisant: è contrario, quibus vacillans

ac dubia fides, iis non semel hebetata visio. Adde exempla.

Burgundiæ Comitatum aggressus Tremblecurius, & ingressus anno M.D.XCV. aliquot è militibus suis Vesontionem misit, vt aduerterent quibus artibus vrbs ea posset occupari. Illi dicto audientes, ficto nomine & habitu Vesontionem subintrant, vbi dies circiter quindecim immorati, agnitis ciuium animis, & curâ vigili, castra repetunt, & oppugnationem illam Duci suo referunt difficillimam fore. ille grauiter in eos stomachatus, *Quasi verò, inquit, animo sit despondendum; denuò Vesontionem pergite, & si nihil aliud, saltem Sudarium quod ibi colitur subdolè arripite, & ad me quamprimum adferte.* Redeunt impij animosiores, & Gallus nobilis eorum ductor, Ecclesiam S. Stephani sub vesperam ingressus, ad altare S. Sudarij accedit, illud conscendit, atque vt in arculam, quâ sacrum pignus reconditur, sacrilegas manus possit iniicere, modos omnes inuestigat. Sentit illicò miser vindices Dei manus, cæcutit exanimatus metu, totisque artibus contremiscit; videt se in diuinam iustitiam delapsus: bono tandem genio mentem pulsante, ad clementiam confugit; sacris aris, quas paulò antè calcauerat, postmodum adgeniculatus, admissi facinoris veniam apprecatur, Religio-

78 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
nis ineundæ votum vouet, si vxori superstes fiat;
tum demum diuersorium repetit, & inde rectâ
patriam domum, vbi ex eo tempore vitam incul-
patam transegit. Hæc ex ore ipsius Blasius Mahon
Bisfontinus è Societate IESV: quod deinde literis
significauit, datis Carlopoli, vltimâ Iunij an-
ni M.DC.XV. Aliud exemplum habemus in scri-
ptis authenticis, hoc sensu.

Anno M.DC.IX. Fridericus Martini Comes Pa-
latinus, & Iuris Canonici in Academiâ Friburgi
Brisgoiæ Professor primarius, missus Vesontio-
nem à Rudolpho II. Cæsare, cuidam mandato
muneri obeundo, sacrum Domini Sudarium sibi
euolui à Canonicis flagitat: respondetur eius vo-
tis, & Februarij vndecimâ, in Sacrario S. Stephani
pretiosum linteum explicatur. Mirum! ita per-
stricti sunt eius oculi, vt solum linteaminis can-
dorem affirmarit se videre, nec effigiem Christi
apprimè in eo delineatam, nec stigmata, quamuis
luculenta, vlllo modo conspiceret: oculis eius in-
tentioribus imago sacra iterùm & propiùs inspi-
cienda proponitur, nec vllatenus ea cadit sub
aspectum: obstupescunt adstantes omnes, ille verò
omnium maximè; qui tandem excæcationis suæ
causâ cognitâ, & fidei hæsitantiæ adscriptâ, ante
Christi Θεανδρῶν & imaginem in genua denuò
pro-

prouolutus veniam poscit, quòd de illo Sudario haectenus addubitasset. En aliud miraculum; aperiuntur ipsi caligantes oculi, videtque distinctissimè Christi velut super terram cum Apostolis ambulantis (ita loquebatur ille) diuinam imaginem: miraculum in se patratum prædicat domi & foris, simulque S. Sudarij Bisontini veritatem; missis deinde aureis ducatis decem, pro incruenti Sacrificij in altari S. Sudarij celebratione annuâ, ad perennem accepti beneficij gratiarum actionem.

Aliud habe in dissimili occasione non absimile. Philippus II. Rex Catholicus monitus per Cardinalem Granuellanum, seruari Vefontione Sudarium Domini, postulat à Canonicis tanti depositi custodibus, vt exemplar doctâ manu excerptum ad se quamprimùm transmittant. Regiæ voluntati citra moram obsequi cupientes Mystæ sacri, pictorem peritissimum accersunt, qui sacrae iconis linteo impressæ exemplar ordiatur: quod cum primùm luminibus accensis ab eo coeptum, factus est se fulgorem è linteo micantem, oculis vix pati posse; modò breuior & angustior imago, modò longior & latior ipsi visa; sanguineæ notæ quandoque rubicundiores, aliàs pallidiores obseruatae; donec per salutare Sacrificium pacato

Numi-

Numine diuino, discussaque oculorum caligine, imaginem Christi penicillo subtili adumbravit, quæ deinde in Hispaniam ad Regem missa. Pictor ille *ab Argento* cognominatus, aliquot alias imagines ex archetypo Bisontino in linteis eiusdem longitudinis & latitudinis tunc expressit: quarum vna est penes Nobiliss. Dominum Henricum de Varick Marcgrauium Antuerpiensem; aliæ in priuatis quorundam potentiorum per Europam domibus asseruantur: quod moneo, ne errandi ansam aliquando præbeant, veraque Christi Sudaria in posterum censeantur.

CAPVT XIV.

Epidemica lues sedata voto publico : Sodalitas S. Sudarij; huius altare Apostolico priuilegio munitum.

ANNO supra sesquimillesimum quadragesimo quarto, quædam epidemica lues, generis humani insolescentis verè tonsura, Vesontionem inuaserat, per quam ingens capitum messis in dies decerpebatur. Nihil cura publica, nihil priuata proderant remedia, donec in S. Sudarij asylum & clientelam ciuitas tota confugit: emissio enim publico voto, cessauit quamprimùm funesta illa
pestis,

pestis, sub Caniculæ ardoribus, cùm tunc ferociorem populus vereretur:

*Nos tabulâ sacer
Votivâ paries indicat omnibus
Suspendisse suprema
Morbi signa potentia.*

tabulâ inquam novâ in veteris ac puluerulentę locum substitutâ, Vefontionis quàm latè patet iconismum referente, cum subiunctis hisce notis,

S. P. Q. B.

EX VOTO.

Vt verò tanti beneficij nusquam periret memoria, erecta est omnium votis S. Sudarij Sodalitas, quæ exinde quotannis ita celebratur tertiâ die Maij, vt ante Sacrum mysticum & concionem, per Ecclesiam & claustrum S. Stephani, solemnis fiat Supplicatio cum S. Sudario argenteâ thecâ concluso. Neque modò illi Supplicationi interfunt Gubernatores, viri Patricij, & xxviii-Viri; sed etiam Officio Vespertino, quod pridie in Sacello S. Sudarij suavissimâ vocum harmoniâ recitatur: quo peracto, ritè & ex veteri more fiunt Processiones extra Ecclesiam: vbi denique ventum ad crucem, quæ prostat ad Reclusi eremum, ibi sistunt Clerus & populus, vnde vasta ciuitatis amplitudo sub precantium oculos cadit: inde Canonicus cui

L con-

82 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
contingit hebdomade illâ Sacris præesse, triplici
signo Crucis benedictionem ciuitati impartitur:
in primis eleuato S. Stephani brachio, in aëre Cru-
cem exprimit, prolatis hisce verbis;

*Per merita beati Protomartyris Stephani,
Liberet nos IESVS Christus filius Dei.*

tum acceptâ maiore cruce, iterato Crucis signo
hæc subdit;

*Per Crucis hoc signum, fugiat procul omne ma-
lignum.*

denique assumptâ hierothecâ, quæ S. Theo-
doli ossa continet, idem præstat, & sic conclu-
dit;

*Per merita beati Theodoli,
Liberet nos IESVS Christus filius Dei.*

Has S. Theodoli Sedunensis Episcopi reliquias *ad-
uersus fulgura & tempestates* non exiguâ vi pollere,
vetusti Rituum codices docent. Illi S. Sudarij So-
dalitati postea dedere nomen liberæ Burgundiæ
vrbes *Dola & Salina*, vicique quamplurimi, qui
voto simili à graui pestilentia liberati fuerant. Aliis
etiam locis cultus S. Sudarij Vefontini viguit: ete-
nim Tornodori in Galliâ habetur eorum congrega-
tio, qui aliàs illud peregrinatione coluerunt; fit-
que singulis annis Sodalium conuentus, qui eâ ipsâ
die quâ Vefontione expanditur, in cœtum coale-
scunt,

fcunt, & solemnem Officio Ecclesiastico peragunt festiuitatem.

Ad votorum famam latè diffusam accessit priuilegium, quo summus Ecclesiasticæ hierarchiæ Princeps Gregorius XIII. altare S. Sudarij muniuit: sic habet in marmore muro Sacelli inserto:

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paternâ charitate intenti, inter tam multa pietatis officia, qua nos pro munere nostro conuenit exercere, sacra interdum loca spiritali priuilegio insignimus, ut inde fidelium animarum saluti amplius consulatur. Quocircâ ut Ecclesia Bisontina simili usque adhuc priuilegio minimè decorata, & in eâ altare S. Sindonis nuncupatum, quod maius non est, hoc speciali dono illustretur, auctoritate nobis à Domino traditâ concedimus, ut quoties Missa defunctorum ad predictum altare celebrabitur pro animâ cuiuscumque fidelis, qua Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit, ipsa de thesauro Ecclesiæ Indulgentiam consequatur: quatenus D. N. Jesu Christi, & beatissima Virginis Mariæ, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, aliorumq; Sanctorum omnium meritis suffragantibus à Purgatorij pœnis liberetur. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ M. D. LXXIX. XI. Kalendas Januarij, Pontificatus nostri anno VIII.

CAPVT XV.

Morbi à veneficio sublato per imagines S. Sudarij Vefontini: alia de eodem Sudario mira & scitu digna.

NON vulgare miraculum illud cenferi debet, quo Sudarij Bifontini imagunculae in propulfandis morbis per maleficium illatis maximè enituerunt. Mulier nobilis, coniux Domini à Capellâ, arcis & oppidi Macerientis (*Maisieres*) in Campaniâ Gubernatoris, mense Iunio anni M. DC. XIX. morbo prodigioso vexabatur, vnâ cum filiâ Carolottâ, & famulo Ludouico Brisione. In caufis ægritudinis inueftigandis defudabant Poliatri, fed fruſtrâ: illis enim ignota morbi ſpecies perpetuò fuit: detecta tandem à Ioanne Prineto Societatis IESV Sacerdote à Rhemenſi Collegio illuc miſſo: qui ſuſpicatus veneficio torqueri ægro- tantes, exorcifmorum ope certiùs id agnoſcens, languentium veſtimenta in ignem conici iuſſit; quæ dum arderent, fascinate quæ mulieres præ doloris cruciatu propemodum iacuerunt exanimes. Famuli thorax & pileus ignibus etiam traditi ſunt, eo abſente ac planè inſcio; qui nihilominùs tempore combuſtionis, quaſi morbo ſacro fuiſſet correptus, in terram corruit, cum horribili artuum
con-

concussione. Blasius Mahon Vefontinus P. Pri-
 neti socius, in aulam vbi Ludouicus pronus iace-
 bat progressus, ad tantas eum angustias redactum
 conspicatus, quamdam S. Sudarij Vefontini ima-
 gunculam, prototypi contactu sanctificatam, se-
 cum gestare recordatus, eam iacentis capiti ad-
 mouit; cuius virtutem illicò persentens semiani-
 mis, in has voces prorupit, *Ab, ah, Domine, tu
 me vris.* postque tantillum spatij, à capite mor-
 bus in pectus descendit: admotà denuò parti la-
 boranti imagine illà, sæuiit dolor atrociùs; tum
 saluberrimæ iconis præsidio depulsus, ad tibias
 prolapsus est. Ecce dum exorcismorum solemnes
 ritus iterantur, & tibialia illato per strigas malefi-
 cio infecta flammis absumuntur, ad humani cor-
 poris molem tibiæ intumescunt; imposità verò
 imagine, confedit doloris ardor, & post mini-
 mum temporis nulla molis ingentis nota residua
 fuit. Eiusdem imaginis beneficio nobiles femi-
 næ, mater & filia à similibus morbis euaserunt in-
 columes: quæ postmodum palàm & publicè factæ
 sunt, quantam Christus Dominus imaginibus
 Sudarij sui virtutem esset impartitus; qui olim
 apud Ephesum, sudarijs à S. Pauli corpore delatis
 super languidos, inesse tantam voluit, vt eorum
 contactu *recederent ab agris languores, & spiritus* Act. 19.

nequam egrederentur. Illa porrò prodigia sanationum in Campaniâ tam multi fidelibus oculis v-
surparunt, vt nullus dubitandi superesse possit lo-
cus. Inuisibiles potestates aliàs Vefontione non se-
mel dilaniari visæ, admotis sudariolis ex diuini ip-
siusmet Sudarij contactu sanctificatis: (quidni
enim si magnes vim suam cum applicito ferro
communicat, hoc possint & sacra lipsana?) Ra-
rò certè Sudarium publicè explicatur, quin toto
monte circumsonent terribiles energumenorum
voces, dæmone vim illam diuinam non ferente.
Habe alia de Sudario admiranda, & supra fidem
captumque humanum.

Scriniolum quo reconditur, laminis argenteis
conflatum, præ vetustate attritum & exesum, de
nouo reffectum est; linteum toties attrectatum
nusquam defecit, & perdurat integerrimum. Sa-
cellum S. Sudarij ingredientibus tangit loci religio
& sanctimonia; & vbi ad conspectum eius in
monte Cælio ventum est, ita se piis mentibus su-
perfundit Deus, vt omnes haustâ cælestis gratiæ
vbertate, maximum quamuis laboriosæ peregri-
nationis fructum se accepisse fateantur.

Visum illud non semel in teatro, vt dum ex-
plicatur, serenetur pluuium cælum, & sacro
ostensionis mysterio dentur induciæ. Ibi multi
reli-

religione perfusi soluuntur in lacrymas, & è flagitiorum emergunt coeno, dum ipsis oculis, eius Sanguinis capeffunt vestigia, quem profusum sol inhorruit, terra gemuit, petræ fenserunt. *Miles ferocioris animi litem quam consanguineo intenterat, morte ipsius finiturum se, deinde ad Mauritiana in Hollandiam castra profecturum dictitans, uti apud se antè decreuerat; statim atque vidit S. Sindonem, planè à seipso mutatus redire in gratiam cum aduersario cœpit.* Annales Societatis IESV anno M.DC.VI.

Præsenti diuino Numine semper affulget; quod in inspectantes vsque ad eò redundat, vt pios in solito gaudio, impios horrore perfundat: ægris est remedio, mœstis solatio, torpentibus incitamento, periclitantibus saluti.

Mirus est ad illud videndum & adorandum concursus, & affluentium ardor, etiam à longinquis locis, & quà se Christianorum fines pandunt: quodque etiam maximè mirum, omnes eo viso lætiori & pacatiori animo reuertuntur ad suos lares, cum ingenti desiderio illud iterum videndi & adorandi.

Explicatur bis quotannis publicè ex theatro, die Pasche, & Dominicâ post Ascensionem Christi, matutinis horis; & nusquam prætereà, nisi in gratiam Principum & Magnatum. Frequentes
ad

ad illud fiunt quadraginta horarum preces, vel ad hanc deuotionem aptissimæ, quòd pari horarum numero Christus iacuerit in sepulchro, sudario tectus; iterumque quadragesimo post resurrectionem die ad cælos euolarit.

Rarissimè templo id efferunt; quandoque tamen sanctificationis causâ, atque roboris, per ciuitatem supplicando gestatur, vt arca foederis altera (imò arcâ sanctius) sub diuite conopeo; sed non nisi in magnis periculis, & necessitatibus publicis: quod tamen & anno M.DC.XXII. factum magnâ pompâ, Iulij xxiv. in celebritate Canonizationis SS. Ignatij de Loiolâ Societatis IESV Fundatoris, & Francisci Xauerij Indiarum & Iaponiæ Apostoli; ad quorum cultum impensiosem, peractâ generali Supplicatione explicatum est publicè in theatro, in quod admissi soli Societatis IESV Patres, cum sacrorum Antistitibus, & ciuitatis Gubernatoribus. Iterùm xxix. Septembris eiusdem anni, die Archangelo Michaëli festo, in pari pro S. Teresiâ festiuitate, in nouum Sanctimonialium Carmelitarum templum delatum est; & præter morem, ad cancellos sacris Virginitibus imago diuina proposita est adoranda.

Nunc de Taurinensis Sindonis historiâ & miraculis.

CAPVT XVI.

*De Sindone Tauwinensi, vnde illa proximè
Camberium aduecta.*

SIVE id iniquitati temporis adscribi debet, quæ
rerum originibus caliginem offundere solet,
siue etiam paucorum calliditati, quibus sacrum
hoc pignus è longinquo, quàm è vicinorum Prin-
cipum ditioe arcessere tutius visum est; aut quos
fortasse incessit metus (inanis vtique, vt ex dicen-
dis constabit;) ne illud quippe non à legitimis
Dominis traditum, præter ius fasque obtinere vi-
derentur; varia sanè ac multiplex in vulgus sparsa
est, eius Camberij accepti ratio. Nam vt omittam
leuiores rumusculos; eam nempe Sindonem ab
Aegyptiâ Iudæave feminâ, captiui apud Du-
cem Sabaudum coniugis pretium relictam; &
alia id genus, quæ nonnulli vel certis in Com-
mentariis legisse, vel à maioribus fando accepisse
se dictitant; Franciscus Adornus Genuensis è
Societate IESV, in epistolâ de Votiuâ peregrina-
tione anno salutis M.D.LXXVIII. à S. Carolo Borro-
mæo ad Camberiensem Sindonem institutâ,
quam Pingonius ex Italico Latinam fecit, hæc
habet: *Familiam Lusignanam, regnum Cyprium*

M

G

& Ierosolymitanum multos quondam annos obtinuisse, memoria proditum est: ex eâ Carolotta orta postrema in Cypro regnavit. hæc Ludouico, alterius Ludouici filio, Allobrogum, quos Sabaudienses appellant, Duci in matrimonium collocata, familiam hanc & gazæ regis & regni Cyprij reliquit heredem. Hinc in inelytam hanc domum præclarissimum & sacrum hoc monumentum peruenisse, superiores Duces à suis accepere, & eius rei memoriam per manus traditam, posteritati reliquere. Nonnulli etiam Insulam Rhodum à Turcis maximâ multitudine circumfessam, vehementissimeq; oppugnatam, Amadeum Allobrogum Comitem summis obsidionis periculis eripuisse, & conseruasse ferunt; ob eamque causam cum cruce albâ, quâ ille sua ipsius insignia exornauit, tum sacro linteo à summo Equitum Ierosolymitanorum Magistro, qui animum memorem & gratum in benemerentem prestare studuit, donatum fuisse. Multò his plura Philibertus Pingonius Sabaudus, Cusiensis Baro, libro eâ de re scripto, quem *Sindonem Evangelicam* inscripsit, ediditque anno M.D.LXXXI. Dum anno M.CCCC.LVIII. (mendum est, hæc enim gesta anno M.CCCC.LIII.) Orientis Imperij sedes vi & armis à Mahumete Turcarum Rege expugnaretur, eade omnia diriperentur & vastarentur, Constantinus Palaologus ipse truncatus capite, regni simul & vitæ finem

finem fecisset, nihil in Graciâ, nihil in Asiâ aut Syriâ
 tutum restaret, aufugerent omnes atrocissimi tyranni
 crudelitatem, illustris quaedam matrona, Margarita à
 Carni nomine, sarcinis collectis, inter quas hanc raram
 Sindonem reposuerat, Graciâ mouere, calumq; mu-
 tare constituit, atque in Galliam proficisci. Hanc à Re-
 gibus Ierosolymitanis prodisse ex eo constat, quòd
 Ierosolymitana in historiâ Cypriâ vocetur, nupta
 Hectori Lusignano Philippi filio: quibus omnibus
 tempora conueniunt. Carnim autem denominatam
 puto, quod Carinæ urbi Joniæ in Asiâ minori domina-
 retur, aut Carnæ Aolidis; siue à Carnâ oppido Phœ-
 nicis, quod ad montem Libanum reponitur. Burgun-
 dam alij ferunt, quòd eius nominis illustris ibi sit fa-
 milia, siue in Asiam illa migrarit, siue ab Asiâ in
 Gallias deducta fuerit. Vbi ergo in Galliam Carnâ
 appulit, & magnis itineribus Alpes superauit, Cambe-
 rij (quæ Sabaudia Ducum Regia est) à Ludouico &
 Annâ Cypriâ Ducibus splendidissimè, ut tantâ Prin-
 cipem matronam & affinem decebat, excepta est, qui-
 bus tandem hoc sacrosanctum Sindonis munus disce-
 dens, non sine magnis obsecrationibus contulit. quid
 verò intercesserit, quid donationi causam dederit, non
 hoc loco absolum sit paucis enarrare. Instructissima
 ad longum viaticum omnia Princeps illa habebat;
 equitatus, muli dossuarij, cistæ, signa, vasaque suppete-
 bant;

* Ex do-
 nationis
 tabulis 2-
 ctis Cam-
 berij
 22. Mar-
 tij, an-
 no 1452.

*Ex veteri tabellâ Sindonis templo affixâ, & notis Petri Pingonij proaui.

1. Miraculum.

2. Miraculum.

3. Miraculum.

bant; nec *as ingens deesse videbatur; liberalitate ipsâ teste, quam erga omnes exercebat. His* copiis fures allecti, negligentiore Græco famulatio, scrinia aliquot effringunt, & nocte intempestâ quantum possunt suppellectilem subducunt: inter quam veneranda Sindon capsulâ deauratâ includebatur. Ceterum fures dum rapta inter sese partirentur, nec isti satis demirari possent elegantem Sindonis texturam nulli telarum comparabilem; hanc per medium abscindere statuunt; sed forsices tenenti, tentantique, contortæ sunt manus, conuersumq; protinus collum, & quasi clinicus obstupuit. Alter usurpato sibi integro linteo, dum sudoris & cruoris humani stigmata undis abluere conatur, ut res venalior redderetur, eò magis utraque pars hominis impressa apparebat; cuius radiis etiam utroque est orbatus lumine. Interea præconis voce per compita graue supplicium receptatoribus indicitur; at furtum indicantibus aut restituentibus, non modo impunitas, sed præmium promittitur. Ipsa quoque Carna, reddito sibi solo linteo, cetera quamuis pretiosa munificè concedebat. His rebus adducti prædones, furto restituto, religione se exoluunt, & ad pœnitentiam stimulati, voto soluto salutem præsentissimam consequuntur. Nullus non lætitiâ singulari affectus est, & Principi matronæ nostris Principibus impensè gratulatum est, de insigni inuentâ Sindone. Denique maiori in veneratio-*

ratione haberi cœpit, ob factum diuinitus in resipiscen-
tium prædonum gratiam miraculum; idq; Camberij,
vel eo nomine celeberrimo futuro oppido. Quapropter
Dux Anna Cypria ardens animo, audaciorq; à gen-
tili suâ & Græcâ munus illud familiariter & obnixè
postulat: sed promptam efflagitationem promptior se-
cuta est recusatio; quodcumque illa aliud poposcerit,
non denegaturam se, profusuram potius omnia, uno
hoc excepto, in quo animi solatium, corporis requiem,
spem denique & salutem reposuerit. Factum est satis
Duci modestissimæ, nec sine reditus desiderio Græca
officiosè dimittitur. At dum muli scriniis onerantur, co-
gunturq; à veterinariis in ipso urbis egressu; numquam ^{4. Mira-}
adduci cogiue potuit mulus clitellarius, cui sacrum ^{culum.}
onus impositum fuerat, portarum valuas prætergredi,
ut alios sequeretur: ac proinde existimatum est diuinâ
id fieri providentiâ, diuinum illud pignus Sabaudis
Principibus & Camberio deberi. Itaque à Ludonico
& Annâ Ducibus exoratur tandem Margarita: ip-
sa rei miraculo non parum ad eam, quam diximus,
donationem munificentiamq; exercendam adducta
est. Tantum ob donum gratias immortales Duces
egerunt, Supplicationes Superis indixerunt, arcis mar-
moreo Sacello perpetuò conseruaturi reposuerunt: quod
Sacellû Paulus II. Pontifex Maximus in Ecclesiam
collegiatam erexit. Hæc Pingonius, cum his ad

marginem notis : atque ex illo ferè recentiores quotquot legi; Ioannes Tonsus libro secundo de Vitâ Emmanuelis Philiberti Allobrogum Ducis; Ioannes Boterus in Ludouico Sabaudio secundo Duce, qui tamen translationem Sindonis è Cypro in Gallias refert in annum M. cccc. xliii. Alphonsus Paleotus libro de Stigmatibus Sindonis, cum Commentariis Danielis Mallonij; Prosper Bonafamilia Italico libello eiusdem argumenti; Iacobus Gauthierus è Societate IESV, in Chronologiâ suâ; & nouissimè Petrus Monodus ex eadem Societate, Tractatu Gallicè scripto de Franciæ & Sabaudia affinitatibus.

Ceterùm quod Pingonius obiter tantùm & ex alienâ sententiâ refert, quodque eam ob rem à recentioribus, qui ex illo accepere, omissum neglectumque est, nempe Margaritam à Carni, à quâ diuinum illud in Allobroges deriuatum munus, Burgundam fuisse; hoc apud Burgundiones extra controuersiam est: nam vt omittam, quòd ipse secum pugnat Pingonius, cum Margaritam è Græciâ mouisse narrat, captâ Constantinopoli, & cæso Constantino (quæ facta constat anno M. cccc. liii.) ac deinde anno M. cccc. lii. Camberij Sindonem reliquisse; norunt Burgundi, Humbertum Comitem à Rupe, Dominũ de Villario-

lariosexel, Sequanum (cuius opes venere in Marchionem Varambonium ex illustri familiâ de Rye) coniugem habuisse Margaritam illam Charniensem, Gaufridi de Charny Burgundi Equitis, & Philippi quondam Valesij ac Ioannis Francorum Regum Regij Signiferi neptem. Illud quoque in Campaniâ maximè & Burgundiâ notum peruulgatumque est, sacrum Linteum, proximè antè quàm Camberium inferretur, nec in Cypro, nec in vllâ Græciæ Asiæve parte, sed in Burgundiâ per annos quatuor circiter supra triginta asseruatum, quo venerat è Campaniâ; vbi habitum annis minimùm sexaginta, in Sacrariis Capituli beatæ Mariæ de Lireyo, Tricassinæ Diœcesis: quæ omnia operæpretium facturum me existimo, si altiùs repetam, & indubitatae fidei testimoniis affirmem.

CAPVT XVII.

Gaufridus de Charny Eques Burgundus Sindonem Christi Ecclesiæ de Lireyo in Trecenti Diœcesi à se extructa attribuit: quomodo ibi habita Sindon.

REFERT Froissartes volumine primo Historiarum, aliiq̃ue rerum Francicarum Scriptores, Calitio (*Portus Iccius* est nonnullis, aliis *Por-* Cap. 150. 151. 152.

Portus Morinorum) ab Anglis deditioe recepto, die vltimâ Augusti anno M. CCC. XLVII. Gaufridum *de Charny* Burgundum Equitem prouinciæ Picardiæ (quâ imminebat hostis) à Philippo Valensio præfectum, eidem Regi vltro pollicitum fuisse anno M. CCC. XLVIII. se Calitium primo ipso die sequentis anni M. CCC. XLIX. pro xeniis ei oblaturum; ac deinde astu & proditione Aymerici Papiensis, Caletanæ arcis pro Anglis Præfecti, qui cum Francis amicitiam simulauerat, cæso fusoque Gallorum exercitu, Gaufridum Ducem, contrario quàm sperauerat euentu, captum ab Anglis, & in custodiam datum Kalendis ipsis Ianuariis, quam ille diem vrbi potiundæ dixerat: non absimili fortunâ, (etsi causâ meliore) ei, quam anno M. CC. XIV. expertus fuerat Ferdinandus Flandriæ Comes, qui nobili pugnâ Bouinensi, à Philippo Augusto, Francorum Rege profligatus, Lutetiam, quam ex magicæ statuæ fallaci oraculo, ouantem se ingressurum crediderat, in hostis triumpho vel inuitus inductus est: aut ille de quo Saluianus: *Dux nostra partis eamdem urbem hostium, quam eodem die victorem se intraturum esse presumpsit, captiuus intrauit. Et mox: Habens predatoris fiduciam, preda factus est; triumphum presumens, triumphus fuit.* Captum porro Gaufridum,

L. 7. de
Prouid.

dum, non mediocri Regis Anglicani lætitiâ, qui eius virtutem bellicam sæpiùs magno rerum suarum detrimento expertus fuerat, refert Nicolaus Camuzatius amicus noster in Castro Caletano coniectum in arctissimam custodiam: *Vbi, cum ipse Gaufridus, inquit, ut nonnulla antiqua Ecclesia de Lireyo monumenta referunt, graui animi anxietate angeretur, quòd Rex Angliæ eum pecuniariâ redemptione liberari prorsus abnueret; ad diuinam opem & presidium confugit, Deiparâ Virgine intermediâ sibi ascitâ; voto sese obstringens, construendæ eius nomini basilicæ, si à dictâ custodiâ eductus pristinam libertatem recuperaret. Is cum votum emisisset, statim sub humanâ specie duo Angeli ei apparuere, qui cum prius sciscitati essent, an votum quo se obligarat persolueret, firmisq; & constans in eo persisteret; iteratòq; ex animo & repetito voto, actutum carceris fores ei diuinitus patuerunt: & à dictis Angelis, armis decenter circumcinctus, equoque generoso donatus; ita expeditus adiunxit se Anglicis copiis, quæ extemplo è Caletanâ ciuitate in prælium cum nonnullis Gallis, qui propiùs ad eam urbem accesserant, exiuerunt. Ibi acriter pugnatum, & in ipso conflictu dictus Gaufridus, Deo ita volente & disponente, in manus incidit Gallorum: à quibus cognitus, benignè & alacriter susceptus est; cunctis ad tanti miraculi relationem non*

In Própt.
Sacrar.
Antiq.
Tricass.
Diocesis.

N tam

*tam mirantibus, quàm stupefcentibus. quod quidem
 alibi scriptum non offendi. Verumenimverò, siue fa-
 ctum siue fictum sit miraculum præsignatum, liquidò
 constat, præfatum Gaufridum peculiari quadam de-
 uoti animi religione in sacram Virginem affectum
 fuisse; quam cum piè coleret & veneraretur, Eccle-
 siam eius nomini consecratam, non multò post carceris
 euasione, excitandam procurauit, in oppidulo de Li-
 reyo, cuius erat Dominus, tribus leucis ab urbe Tricas-
 sinâ disito, eamque tantis redivibus locupletauit, quanti
 Canonicis, qui ibidem diuini Officij munus in perpe-
 tuum obirent, sustentandis erant suffecturi. Subiicit
 Camuzatius Instrumentum dotationis Ecclesiæ
 B. Mariæ de Lireyo, datum à Gaufrido anno
 Christi M.CCC.LIII. Indiçtione sextâ, die vigesimâ
 Iunij. Sanè de Gaufrido Angelicâ ope ex hostium
 manibus erepto, verbum non faciunt Historici
 vel Anglicani vel Franci; quin potiùs asserunt,
 eum ab Anglis Calitio deportatum in Angliam,
 eiusque caput anno M.CCC.LI. regnante iam tum
 in Galliâ Ioanne, magnâ pecuniæ vi redemptum.
 Neque idcirco fidem abrogo historiæ illi, quam
 ex Lirensis Ecclesiæ Commentariis quibusdam
 refert Camuzatius; cum expressa iam olim videat-
 ur fuisse in Lipsanothecâ argenteâ illius Eccle-
 siæ, quæ describitur in litteris Humberti Comit-
 is à Ru-*

à Rupe, sequenti Capite referendis. Angelus est capillū beatissimæ Virginis vasculo clausum manu gestans, ac turri tribus columnis impositæ insistens; quâ in turri statua Equestris Charniensibus Insigniis decora conspicitur, Gaufridum opinor representans, Angelicâ ope, voto Deiparæ nuncupato, carceribus ereptum. Satis constat, sæpè aliàs captiuos diuinâ virtute solutos ergastulis, & è custodiâ subductos; vt Gerardum S. Bernardi fratrem, eiusdem precibus; Carolum Prouinciæ Comitem beatæ Magdalenæ ope; complures votis diuo Leonardo nuncupatis; alios aliâ ratione: vt mirum videri non debeat id quoque Gaufrido beneficij diuinitus impensum; quod ab Anglicanis illis, Francisque, bellorum potiùs quàm rerum sacrarum Scriptoribus, aut ignorari potuit, aut de industriâ prætermitti. Verum quacumque tandem ratione Gaufridus ex hostium potestate euaferit, constat illum ad suos reducem, sacram eadem beatæ Mariæ de Lireyo extruxisse, ac in eâ adorandum linteum, corporis Christi notas & lineamenta referens, perhonorificè collocasse, vt expressè habetur ex plurimis Campaniæ Burgundiæque consentientibus monumentis, atque instrumentis publicis infrà citandis; vbi perpetuò *Sudarium* appellatur. Quomodo autem sacra

100 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
Sindon à Trecensibus habita sit , paucis enar-
randum.

Cùm magni ad Lirensẽ Ecclesiam visendæ
Sindonis causâ concursus fierent, Henricus de Pi-
ctauia Trecensis Episcopus , circa annum Chri-
sti M. CCC. LV. ratus non esse illam veram Christi
Sindonem , quòd Theologi quidam affirmarent,
id alioqui non omittendum fuisse ab Euangeli-
stis, si hæssissent linteo diuini corporis notæ; aua-
ritiæ Decanorum & Canonicorum Lirensium
adscribens, & redigendæ pecuniæ, ac donario-
rum cupiditati, quòd ij populorum excirentur
conuentus; habito priùs concilio, aduersus Li-
renses pro suâ auctoritate agere cœpit. Tunc ergo
aliò translata est Sindon, etiam vt ferebatur, extra
Diœcesim; nec v̄mquam publicè proposita per
annos ferè quatuor & triginta: quibus elapsis, se-
dem Trecensem obtinente Petro de Arceys, ite-
rùm productum est Sudarium à Gaufrido *de*
Charny, Gaufridi fundatoris filio, Lirensis oppi-
duli Domino, & Ecclesiæ Lirensi restitutum, vt
veteri more populo exhiberetur. Quod vt secu-
riùs fieret, obtinuit Gaufridus à Petro tituli S. Su-
fannæ Presbytero Cardinali de Thureyo, Cle-
mentis VII. Antipapæ ad Carolum Francorum
Regem Legato, facultatem Sudarij illius in Ec-
clesiâ

clesiâ Lirensi honorificè custodiendi, non petitâ
 licentiâ ab Ordinario loci, nec obstante eius pro-
 hibitione vllâ, eò quòd à patre suo Gaufrido, eius
 Ecclesiæ fundatore, in eâ collocatum esset. Eo in-
 dulto commotus Petrus de Arceys Episcopus;
 quodque insuper vltra quàm concessum erat, Su-
 darium maximâ pompâ, cum facibus & sacris
 vestibus è celfo pegmate ad idipsum extracto spe-
 ctandum omnibus proponeretur; intentato se-
 uerè anathemate, vetuit pannum illum proferri
 populo adorandum, donec Summus Pontifex
 super hoc aditus, rem definiuisset. Gaufridus
 contrâ rescriptum quidem tulit à Carolo Rege
 (dicto *Sexto*, cognomento *Beneamato*, Caroli Sa-
 pientis filio) quo Lirensibus Decano & Canoni-
 cis Sudarium de more publicè explicare liceret:
 agente tamen Episcopo, & Regi exponente,
 quòd ex eâ solemni exhibitione, idololatriæ sce-
 lus in credulas mentes irreperet, nouo edicto
 Rex concessionem suam irritam fecit, sanxit-
 que dato instrumento Lutetiæ Parisiorum,
 quartâ Augusti, anno regni sui nono, Chri-
 sti M.CCC.LXXXIX. vt Sudariũ extra Lirensẽ Ec-
 clesiam priuatim asseruaretur, donec aliud super
 eâ re fuisset constitutum. Prouocatur interim ad
 Clementem, existimatum à multis Pontificem;

N 3 à quo,

à quo, agente Gaufrido, rata habetur permissio à Cardinali S. Susannæ Lirensibus facta, perpetuumque silentium Episcopo Trecenti imponitur. Quo audito Petrus de Arceys, libellum supplicem adornat prolixissimum, vbi re totâ altiùs repetitâ, & gestis in causâ enarratis, contendens Sudarium illud humanâ arte depictum esse, nec esse illud ipsummet, quod sacrosancto Christi corpori adhaesit; ac eius publicâ ostensione, hinc faniores offendi grauissimè, inde rudem atque imperitam plebeculam vanis religionibus implicari; abstulit à Clemente diploma, datum Auenione, octauo Idus Ianuarij, Pontificatus duodecimo, hoc est anno Christi M.CCC.XC. (sedit enim Auenione Antipapa, ab anno M.CCC.LXXVIII.) quo diplomate sanxit, vt pannum quidem illum palàm omnibus explicare liceret, sed absque facibus, cereis, lampadibus, aut sacro ornatu, & celebritate vllâ; vtque is qui populo linteum exhiberet, publicè & clarâ voce proclamaret, *quòd figura seu representatio predicta* (Clementis verba sunt) *non est verum Sudarium Domini nostri Iesus Christi, sed quadam pictura, seu tabula, facta in figuram, seu representationem illius.* His ita constitutis sensim minui coepit religio erga sacrum linteum. Neque vltra super eo disceptatum lego inter

ter

ter Trecenses. De illius ab Antipapâ prolatae sententiae inanitate agam infra ex professo; nunc quâ ratione diuina bonitas, pretiosissimum illud nostrae redemptionis pignus, honori suo reddiderit, ampliùs exponendum est.

CAPVT XVIII.

Transfertur S. Sindon è Campaniâ in Burgundiam: multa nequidquam conantur Lirenses vt illam recipiant: Camberij denique non sine miraculo relinquitur.

INDIGNI erant Trecenses diuino dono, cui fides cultumque omnem derogarant. Ardebant Galliae bellicis tumultibus, ac Ioannes Burgundiae Dux Lutetiam ipsam regni Francici caput magnâ editâ strage occupauerat, anno Christi supra millesimum quadringentesimum octauo decimo, mensè Maio exeunte. Ergo Lirenses à loco minùs tuti, dum rebus suis cautum esse volunt, Humbertum adeunt Comitem à Rupe, Dominum de Villariosexel & de Lireyo, qui Margaritam Charniensem, Gaufridi Ecclesiae suae institutoris neptem, in matrimonio habebat; rogantque vt vasa sua, sacrumque instrumentum reciperet in custodiam; atque in tuto collocaret,

inte-

104 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
interim dum Gallia pax redderetur. Id enim uerò non grauatè se facturum. recepit Humbertus: atque ut fides constaret, litteras illis manu suâ ob-
signatas dedit sextâ Iulij M. CCCC. XVIII. quas è Gal-
lico vulgari idiomate sic expressi.

*Nos Humbertus Comes à Rupe, Dominus de Vil-
lario sexel & de Lireyo, notum facimus omnibus, quòd
rebus bello turbatis, metuentes à grassatoribus, accepi-
mus in fidem nostram ac tutelam, de manu dilectorum
Capellanorum Decani & Capituli Ecclesie nostræ di-
cti loci de Lireyo, sacra eiusdem Ecclesie uasa & san-
ctuaria infrà recensita: in primis pannum, in quo est
figura ac representatio Sudarij Domini nostri Iesu
Christi, (loquitur Humbertus ex mente Clemen-
tis Antipapæ, quam alio loco reiciemus) clausum
arcâ Charniensis familiae calatâ insignibus. Item cru-
cem ex argento deauratam, trunci lignei specie, ramis
undique decisis, quâ ueræ Crucis particula includitur;
superiori parte, quatuor Euangelistarum iconismis in-
signem; ab imo uerò cornu, Charniense gentilitium
stemma in scuto sustinentem. Item Angelum argen-
teum inauratum, turri tribus nixæ columnis insiden-
tem, & utraque manu, clausum uasculo capillum
unum sanctissimæ Dei Matris exhibentem; in eâque
turri impositam basi equestrem statuam, Charniensia
insignia gestantem. Ceteram supellectilem sacram
recen-*

recenset; Deiparæ Virginis puerum IESVM gestantis, sanctorum Ioannis Baptistæ & Ioannis Euangelistæ argentea signa: vas argenteum inauratum, in quo phialæ aliquot continentes oleum beatae Mariae de Sardonay, ciborium, thuribulum, minores duas hierothecas, omnia ex argento; tres altarium mappas. *Quæ omnia in castello nostro de Monte forti tutius custodienda accepimus, atque in fidem nostram recepimus à dictis Decano & Capitulo dictæ Ecclesiæ nostræ: ac sanctè spondemus nostro nomine, omniumque in quorum manus nostrâ causâ venire possent, nos illa eidem Ecclesiæ restituros, sedatis Franciæ tumultibus, & quoties dicti nostri Cappellani repetierint. In cuius rei fidem, præsentem litteras signo nostro obsignauimus, datas die sextâ Iulij, anno M. CCCC. XVIII.*

Diu fuit depositum in Humberti potestate: quo mortuo, vocatur in ius Margarita de Charny in Curiam Dolanam, vt sanctum Sudarium, aliasque Lipsanothecas, iam inde ab annis quinque & viginti, Humberti eius quondam coniugis tutelæ ac fidei creditum restitueret. Et tunc quidem aliam omnem religiosam supellectilem postulantibus exhibuit, sacrosanctum verò Sudarium negauit se id temporis reddituram; obtinens, rem esse familiæ suæ, quippe *illud ab auo suo*

O

Gaus-

Ex dua-
bus tabu-
lis tranf-
actionis,
datis in
Curiâ Do-
lanâ, 8. &
9. Maij,
1443.

Gaufrido de Charny bello quondam partum fuisse; patere direptioni ac populationibus Lirensẽm Ecclesiam; cautionem suam esse, ne quâ vi adorandum illud Dei munus eriperetur. Lite contestatâ, ita denique conuenit, vt Margaritæ sacri depositi custodia in triennium prorogaretur, nempe ad octauam diem Maij anni M.CCCC.XLVI. eâ adiectâ conditione, vt certam Lirensi Ecclesiæ pecuniæ summam penderet, in emolumentorum, quæ ipsi à Sudario obuentura erant, aliquam compensacionem. Exacto triennio, similibus de causis, similiq̃ue factâ sponcione persoluendæ pecuniæ, impetrat Margarita ab Officiali Curia Bisontinæ, dato instrumento xviii. Iulij, M.CD. XLVII. prorogacionem custodiæ S. Sudarij ad vsq̃ue festum diem sanctorum Simonis & Iudæ, vicesimum octauum Octobris anni M.CD. XLIX. quo die illucescente, ne tum quidem pia femina illo se diuino præsidio spoliari passa est; quin ad veteres excusationes, adiecto insuper promisso, se arcem munitam in Lireyo ad perpetuam sacri Sudarij omnibus retrò sæculis custodiam exstrui curaturam: pacta item solito maiorem pecuniam, per fratrem suum Carolum de Noyers, Dominum *de Vatefale & de Seigney*; abstulit à Præposito Trecensi publicas tabulas, sexto Nouembris anni M.CD. XLIX. confectas,

etas, quibus adhuc sanctum Sudarium ipsi apud se per totum triennium habere liceret. Verum illo nondum completo tempore, contigit, ut in oppido Camberiaci (quæ est Allobrogum Metropolis, & priscorum Sabaudia Ducum sedes) sacra Sindon à Margaritâ relinqueretur: citat enim Pignonius donationis tabulas, actas Camberij, vigesimâ secundâ Martij, anno M. CD. LI. & sanctæ Sindonis effigiem exhibet, expressam in nummis Ludouici Ducis, cufis anno M. CD. LIII. Fuit igitur Sindon in Burgundiâ per annos omnino triginta quatuor: nam præter citata instrumenta, & Marchionis Varambonij chartas domesticas, popularium traditione fertur, Sindonem illam quotannis publicè ostendi solitam extra S. Hippolyti fanum in aperto quodam prato, ad ripam Dubis, quod vocant *Domini pratum*. Et eius rei alia duo supersunt non obscura vestigia: alterum imago sanctæ Sindonis, anticam simul & posticam corporis partem referens, depicta ad parietem sacelli Buesserdorum, in Ecclesiâ S. Hippolyti, monumentum ibi conseruatæ Sindonis, aut insignis alicuius per eam accepti beneficij, cuius memoria intercidit: alterum arca cypressina, quæ hodieque extat in Villariofexel apud Marchionem *de Varambon*, illius loci Dominum, in quâ creditur af-

108 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
feruatum quondam scriniolum Charniensi insi-
gnitum stemmate, sacram Sindonem capiens.

Quæ porrò Pingonius refert de raptoribus sa-
cræ Sindonis, quorum alteri contortæ manus, col-
lumque obuersum, alteri vsus oculorum ademp-
tus; vtrique deinde cum poenitentia sceleris, sa-
lus è vestigio restituta; deque mulo clitellario,
Sindone onusto, qui ad portam ciuitatis, nequid-
quam premente à tergo mulione, obstinate resti-
tit; minimè in dubium voco: cum id se asserat ex
veteri tabellâ, Sindonis templo olim affixâ, atque
ex Petri Pingonij proauis sui domesticis Com-
mentariis hausisse; cumque de muli prodigio præ-
sertim sit constans fama apud Sabaudos, etiam
seniores, qui multò ante Pingonij librum, anno
dumtaxat M.D.LXXXI. editum, id se à maioribus
traditum, pro comperto habuisse testantur; ad-
duntque, constitisse mulum ad eam portam ci-
uitatis, quâ itur in Burgundiam, vulgò *La porte de
Maché*.

De suscepti autem à Margaritâ itineris occa-
sione, certi nihil comperi. Narrant Sabaudi qui-
dam, illam dedisse se viæ, vt captiuum carcere exi-
meret: sed vbi captiuum? addunt ex Burgundis
nonnulli apud Turcas, in Græciâ, Asiâve: illa, in-
quiunt, gazam barbaris oblatam, rata captiuo sa-
luti

luti fore, pretiosam secum supellectilem auexit, inito prius consilio in monte, qui oppido S. Hippolyti adiacet, in Burgundiâ superiore, quem idcirco etiamnum *mali consilij montem* vocitant. Dum ergo Camberio iter habet, siue in aditu, siue in reditu, apud Ludouicum & Annam Cypriam Sabaudiaë Duces sacrosanctam Sindonem donum relinquit. At enim, ecquis ille captiuus? Humbertum coniugem dicunt nonnulli: falsò id quidem; cùm ex citatis cuiusdam transactionis tabulis octauâ Maij, anno M.CD.XLIII. Margarita *Humberti Comitis à Rupe vidua* dicatur. An Franciscus à Palude, dictus *de Varambon*, heres Humberti, (qui Comes à Rupe, ac Dominus Villarij-fexel dicitur in duobus instrumentis supra allegatis, quæ in Curiâ Dolanâ confecta sunt octauo & nono Maij, M.CD.XLIII.) qui ad bellum Turcicum cum ceterâ cruciatâ Nobilitate profectus, in manus hostium venerit, ac deinde Ludouici Ducis, vel Annæ Cypriæ operâ atque auctoritate suis redditus sit? Hoc verò adducor vt probabile iudicem; tum quòd per ea tempora infestum fuisse constet Orientem Mahumeti Secundi armis, qui etiam Constantinopolim diu obsessam expugnavit tandem vigesimâ nonâ Maij, anno Christi M.CD.LIII. vt post Martinum Crusium, Genna-

IIO DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
dium Scholarem, aliosq; adnotauit Iacobus Gordonus in Chronologiâ, non autē, vt alij quidam, anno M. CD. LII. tum quia Papirius Massionus, in Elogiis Ducum Sabaudie, in Ludouico, Margaritæ manu datam ei à Marchione à Palude Sindonem dicit. *Quod verò, inquit, Marchionem à Palude in recordatione & memoriâ viuorum facit immortalē, donum ei, Margaritæ Carniæ illustris femina manu oblatum est; videlicet sacra Sindon vultum & faciem Christi referens, ceterasq; corporis partes, quantæ erant, in xylinâ materiâ exhibens, quam quidem Cyprij Reges Ierosolymis attulerant.* Fortassis igitur captiuus hic Illustris, ad quem liberandum Margarita iter arripuit, Marchio à Palude fuit; qui grati animi ergo, ob acceptum à Ducibus beneficium, accedente etiam portento muli ad portam Camberiensem immoti, Margaritæ suasor auctorq; extitit, vt sanctam Christi Sindonem ipsis vltro concederet. Verùm quæcumque tandem causa Margaritam Camberium exciuerit, illud constat, quod ab initio narrationis huius proposui, non è Cypro, Græciæve vel Asiâ proximè Camberium inuectam Sindonem; sed è Sequanis, ad quos è Campaniâ aduenerat. Quæ porrò exinde consecuta sunt, nunc persequamur.

CA-

CAPVT XIX.

Quid pro Sindone, ex eo tempore à Lirensibus actum.

SVRREXIT fama de Sindone Saluatoris Ducibus Allobrogum dono datâ. Et Lirenses grauiter commoti queruntur iniuriam, ac in Margaritæ caput anno M. CD. LVII. ab Officialis Bisontini Sede, anathematum fulmina euocant: sed omnia in irritum cecidere. Desperatâ tandem causâ, ac Margaritâ fato functâ, Lirenses aliò consilia vertunt, & à Ludouico Duce Parisiis adito, anno M. CD. LXIV. quando Sindonem ipsam auferre non poterant, annuos quinquaginta Francos auri, ad diem diuo Andreæ festum pendendos stipulantur, quibus illatum Ecclesiæ suæ damnum, ex retentione Sindonis, aliquâ saltem ratione refarciretur. Placet ipsas Ducis literas ex archiuo Trecensi proponere, prout tribus post annis, nempe M. CD. LXVII. quintâ Decembris, ex ipso autographo, ne illarum memoria interiret, omni fide à Trecensibus descriptæ, atque in publicum instrumentum transumptæ sunt.

*Ludouicus Dux Sabaudie, Chablaisij, & Augustæ, sacri Romani Imperij Princeps, Vicariusq; perpetuus, Marchio in Italia, Pedemontium Princeps,
Geben-*

Gebennensis & Baugiaci Comes, Baroq³ Vaudi, & Foucigniaci, ac Nicia, Vercellarum, Friburgi³ Dominus, vniuersis modernis & posteris, rei gesta notitiam cum salute. Oblata nobis supplicatio pro parte venerabilium Oratorum nostrorum, Decani & Capituli Ecclesie Collegiate beate Mariae de Lireyo, Trecentis Diocesis, in effectu continebat: Quod pridem agente in humanis spectabili milite Goffredo de Charny, Domino de Sauoisy & dicti loci de Lireyo, ipse spectabilis miles pia deuotione motus, inter alias Reliquias per eum tunc collatas ipsi Ecclesie, dedit & largitus est quoddam sacratissimum Sudarium, effigiem Saluatoris & Redemptoris nostri Iesu Christi representans, per Decanum & Capitulum ipsius Ecclesie per eum fundata, tunc & in futurum existentes custodiendum, pro deuotione & salute animarum ipsius, ac benefactorum Ecclesie predictae: etiam ut ex illius custodia, Ecclesia ipsa frequentius & libentius a Christicolis visitaretur, & ipsorum eleemosynis diuinus cultus uberius augetur. Quod quidem deuotissimum & colendum Sudarium metu guerrarum tunc ibidem vigentium, per Decanum & Canonicos ipsius Ecclesie pro tunc, repositum extitit custodiendum in manibus & potestate quondam spectabilis militis Domini Humberti Comitis Rupis, & Domini loci predicti de Lireyo: qui morte prouentus, illud specta-

bili

bili Domina Margaretæ de Charny (eius quondam
 uxori) reliquit : quod exinde dicta Domina Marga-
 retæ apud nos transtulit. Subiungentes præfati Deca-
 nus & Capitulum, eorum prædictam Ecclesiam va-
 ria damna, & reddituum attenuationem ex hoc sus-
 tulisse, & præsentialiter sustinere : supplicantes hoc
 ideo, ut præmissorum consideratione ipsum deuotissi-
 mum Reliquiarium sibi restituere, aut saltem oculos
 nostros piè & misericorditer erga eos diuertere digna-
 remur. Pro quâ re nobiscum tractandâ, concordandâ,
 & paciscendâ, ac concludendâ, in præsentiarum ad
 nos specialiter transmiserunt venerabiles viros, Domi-
 nos Nicolaum de la Rottiere & Joannem Larrecier
 Præbiteros dictæ Ecclesiæ Concanonicos, à Decano &
 toto Capitulo præmentionato sufficientem potestatem
 circa hæc habentes, confirmatam, & obseruari promif-
 sam per Reuerendum in Christo Patrem Dominum
 Ludouicum, modernum Trecentem Episcopum, eius-
 que Officiale, constantibus tribus publicis literis signa-
 tis, & debite sigillatis, de quibus promptam & vali-
 dam fidem fecerunt, easque penes nos reliquerunt.
 Nos itaque Dux præfatus, auditâ eorum supplica-
 tione prædictâ, cupientes eosdem gratis & fauoribus
 amplecti, ut perinde suas solitas orationes & depre-
 cationes valeant continuare, imò etiam augmentare,
 in honorem sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis, &

P

glo-

gloriosissima Virginis Mariae, ad cuius exultationem
 Ecclesia praedicta fundata extitit, ut praemittitur, &
 ne ob remissionem seu translationem per antelatum
 quondam Dominam Margaretam, de dicto san-
 ctissimo Sudario (ut praefertur) nobis factam, iactu-
 ram patiantur: pioque & sincero deuotionis zelo,
 aliis etiam multis laudabilibus considerationibus ani-
 mum nostrum quoad haec mouentibus, & quia sic
 fieri volumus, & nobis placet, dictis Decano & Ca-
 pitulo, Ecclesiae praedictae Collegiatae de Lireyo, seu
 praenominatis Dominis Nicolao & Ioanni, nuntiis
 & procuratoribus eorum, propterea ad nos specialiter
 transmissis, haec omnia nomine quo agunt, euidenti
 utilitate dictae Ecclesiae pensata, acceptantibus & reci-
 pientibus ex nostra certa scientia, motu proprio, ac pro
 nobis & nostris heredibus & successoribus uniuersis
 damus, donamus, largimur, conferimus, & in eleē-
 mosynam, ac honorem Christi omnipotentis, proque
 salute & remedio animarum Illustrum progenito-
 rum, nostriq; & nostrorum perpetuo successorum, con-
 cedimus & erogamus per praesentes, quinquaginta
 Francos auri* p̄ p̄ moneta nostra Sabaudia annuales,
 deinceps per dictos Decanum & Capitulum, seu eo-
 rum Procuratores legitimos, ac eorum in dicta Eccle-
 sia successores, annis singulis in perpetuum leuandos,
 & percipiendos in quolibet Festo S. Andreae Aposto-
 li,

* panni
 ponderis

li, primo solutionis termino in instanti dicti B. Andrea Apostoli Feste incipiente. In videlicet & super preysijs, exitibus, valoribus, & alijs quibuscumque emolumentis castri nostri Gaillardi prope Gebennam, & mandamenti eiusdem: quos, quas, & qua dictis Decano & Capitulo, & suis in perpetuum successoribus propterea specialiter & expresse, ac pro nobis, & pro nostris predictis heredibus & successoribus seu causam habentibus, obligamus, & hypothecamus, per presentes, & his mediantibus, dicti Decanus & Capitulum, amodò in antea celebrare tenerentur, & sui in dicta Ecclesia successores, in magno altari dictae Ecclesiae, pro salute & remedio animarum Illustrium progenitorum, nostriq; & nostrorum successorum predictorum, quolibet mense quamdiu fuerimus in humanis unam altam Missam de sancto Spiritu, & post huius carnis humanae nostrum egressum, de Mortuis, cum Collectis solitis & debitis. Et ita facere promiserunt, & conuenerunt praefati Nuntij & Procuratores, nomine quo supra, tactis Euangelis sacrosanctis, in praesentia Consiliariorum nostrorum subscriptorum sine omissione aliquali, conscientias suas, & suorum in dicta Ecclesia successorum, propterea onerando. Mandantes idcirco Castellano nostro dicti castri Gaillardi, & mandamenti, praesenti, & qui pro tempore fuerint, seu ipsorum loca tenentibus, sub pœ-

* pavi
ponderis

nâ quinquaginta marcharum argenti pro quolibet, quatenus præmentionatos quinquaginta Francos auri * p p dictis Decano & Capitulo, seu ipsorum legitimis procuratori aut procuratoribus, modo in antea singulis annis in perpetuum, in Feste prædicto sancti Andrea Apostoli solvant, & liberent, & realiter ac integraliter expediant, in & super preysijs, exitibus, & aliis proventibus dicti castri nostri Gaillardi, & mandamenti eiusdem; sic quod merito habeant contentari, recipiendo tamen per ipsos Castellanos, à præfatis Decano & Capitulo, seu Procuratoribus eorumdem, in primâ solutione cum copiâ præsentium debite tabellionatâ literam quittance, in aliis autem sequentibus solutionibus, confessionem de receptâ dumtaxat opportunam. Et nos huiusmodi quinquaginta francos, quos, ut præmittitur, persoluerint annuatim, eisdem Castellanis suis in computis postea reddendis, per dilectos fideles Consiliarios, Præsidentem, & Magistros Camera computorum nostrorum precipimus & iubemus indifficiliter allocari, sine exceptione & difficultate quibusvis, præmissa sic fieri & observari volentes, pro nobis, & nostris prædictis heredibus, successoribusque, seu causam habentibus, quibuscumque regulis, statutis, & constitutionibus dictæ Camera, oppositionibus, exceptionibus, assignationibus, & assignationum interruptionibus, literisq; mandatis,

tis,

tis, & aliis omnibus in contrarium fortè facientibus,
 & in perpetuum inaduertenter concedendis, sub qua-
 cumque verborum formâ & intellectu, reiectis peni-
 tibus, & non obstantibus. Quibus omnibus ex nunc,
 prout ex tunc, ac pro nobis & nostris prædictis, sub
 quorum onere huiusmodi largitionem nostram remit-
 timus, post nostrum decessum prædictum protinus om-
 nino & expressè derogamus, & derogatum fore vo-
 lumus per præsentem, datas Parisius die sextâ Februa-
 rij, anno Domini M.CD. LXIV. à Natiuitate sum-
 pto. Sic signatum in margine altâ. Loys: & in mar-
 gine bassâ. J. Bolomyer & I. Gyport: & in margine
 altâ subscriptum per Dominum. Præsentibus Domi-
 nis Aymerico Episcopo Montisregalis, B. Episcopo
 Niciensi, Ioanne Compesio Cancellario Sabaudie,
 Antonio de Flisto Apostolico Protonotario, Amblar-
 do de Viriaco Abbate Habundantia, Antonio Pro-
 cheti Cantore Gebennensi, Urbano Bonnardi Priore
 S. Victoris, Jacobo Richardi Præsidente, Humberto
 Pelluete Præsidente Gebennensi, Ioanne Domino
 Bastote Magistro Hospitij, Antonio Champiois, &
 Ioanne Malleti Thesaurario.

Neque his acceptis literis Lirenses penitens con-
 quieuere; quippe iactabant Philibertum Theo-
 baldum, Margaritæ quondam à Secretis, eiusque
 in causâ pro sancto Sudario disceptatâ fideiussor-

P 3 rem,

rem, ipsamque adeò Margaritam (quod antè obitum absoluta non esset) inflicti olim anathematis vinculo adhuc irretiri; negabantque se consensuros ut absoluerentur. Quo audito literas dedit Dux Ludouicus Lutetiæ Parisiorum, xxiii. Maij, eiusdem anni M.CD.LXIV. ad Decanum & Capitulum de Lireyo; quibus rogauit, quando secum transfegissent, & ipse perpetuam eis pecuniam pro sancto Sudario assignasset, abstinerent ab eâ loquendi ratione, & Philibertum Theobaldum, atque etiam (si opus esset) Margaritam ipsam, sacris vinculis publicâ auctoritate exsolui paterentur. Anno demum M.CD.LXXIII. decimâ quartâ Maij, cum litteris ritè obsignatis destinati sunt à Lirensibus Procuratores ad Ducissam Sabaudia, Ludouici iam inde ab anno M.CD.LXVI. vitâ functi relictam, Marcus de Vaudrey Presbyter, in Decretis Licentiatus, Protonotarius Apostolicus, Canonicus & Archidiaconus Ecclesiæ Bisontinensis, & Hugo Mergey in Artibus Magister, simul annuos quinquaginta Francos auri, ex Ludouici Ducis transactione sibi debitos, & ab annis octo non persolutos exacturi; simul sacrosanctam Sindonem, præcipuum Ecclesiæ suæ decus ac præsidium enixè repetituri. Atque hic finis querelarum, quoad quidem cognoscere licuit. Nec verò fru-

frustrà tantùm, sed etiam fortasse iniuriâ sacram Sindonem Trecenses rem suam dixisse videbuntur, ei qui attenderit, quàm parum religiosè olim apud ipsos culta (quippe pro panno depicto, vt vidimus, habita:) quantum iuris ac potestatis fuerit Margaritæ Charniensi, clarissimæ feminæ, in rem auo suo partam, & in intuto loco periclitantem: quanto denique prodigio, muli ex improuiso consistentis, præpotens rerum omnium Deus, vt Ægypti quondam spolia Israëlitis, ita sacrum illud pignus Sabaudorum Principum fortissimæ piissimæque genti adiudicarit.

C A P V T X X.

Camberij religiosissimè habita Christi Sindon: miracula per eam edita: flammarum vim vt euaserit.

QVÆ pietatem religionemque commendant, sacra ædificia, diuinorum officiorum celebritas, numismata, anathemata, votiua peregrinationes, populorum concursus, curationes supra naturæ vim, aliaque prodigia; horum nihil Sindoni apud Allobroges defuit. Proximo anno ab acceptâ Sindone, Dux Ludouicus de diuino munere palàm gloriari cœpit, cufis ex auro, ære, & argento nummis, hinc vultus suos, inde sanctam

120 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
 ctam Sindonem ab Angelo trophæi instar subla-
 tam referentibus : cuius deinde pietatem imitati
 Carolus anno Christi M.CD.LXXXVII. & Emanuel
 Philibertus anno M. D. LXXVIII. simili emblemate
 sua aliquot numismata ornari voluerunt. Placuit
 hîc vnum omnium vetustissimum reddere ex
 Pingonio.



Firmius posuit suæ in sacrum linteum religio-
 nis monumentum Beatus Amedeus Ludoui-
 ci filius , piissimus Princeps , ac deinde ab an-
 no M.CD.LXVI. patre extincto Dux Sabaudiaë Ter-
 tius. Is primùm cùm Yolandâ coniuge, Caroli
 VII. & Ludouici XI. Franciaë Regum , huius
 sorore, illius filiâ , sacellum eleganti opere, intra
 arcis Camberiensis mœnia excitauit, quod Pau-
 lus II. Summus Pontifex dato Diplomate secundâ
 Maij anni M.CD.LXVII. in Ecclesiam Collegiatam
 erexit: & Sixtus IV. anno M. CD. LXXX. *Sanctam
 Cappellam sanctæ Sindonis* appellari voluit. Hinc
 Iulius

Iulius II. Diplomate Bononiæ dato, sexto Idus Ianuarij, anno M.D.VI. rogatu Caroli Ducis, eiufque matris Claudix, Philippi quondam Ducis relictx, Sodalitium in sancto Sacello Camberienfi instituit, in quo ad quingentos censeripotessent: quo in Diplomate asserit conspici in Sindone *imaginem & verum sanguinem Domini nostri IESU Christi*. Non solum autem Sodalitio multa concedit priuilegia; sed omnibus insuper fidelibus, certis diebus sanctam Cappellam visentibus, in eaque orantibus, Indulgentias quasdam largitur. Aliã deinde Bullã Romæ datã septimo Kalendarum Maij M.D.VI. concessit, vt in eo Sacello diuinum Officium ritu peculiari celebraretur; diẽmque sanctæ Sindoni festum indixit, quartum Nonas Maias. Accesserunt postea aliæ noxarum remissiones à Laurentio de Campegiis & Bernardo Cardinalibus Legatis, datis litteris in S. Cappellã Camberienfi decimã octauã Maij, anno M.D.XVIII. Pontificatus Leonis X. anno sexto. Alię deinde ab ipso Leone anno eodẽ M.D.XVIII. die septimã Augusti. Quæ demum à decessoribus suis piẽ sancteque vel instituta vel concessa fuerant, Clemens VII. datis anno M.D.XXXIV. tabulis affirmavit. In donariis quæ multa tempus abstulit, illud non obscurum, capsã ex argento inaurata ele-

Q ganti

ganti opere, quam Margarita Austriaca, Philiberti Sabaudia Ducis octavi olim coniux, sanctæ Sindoni asseruandæ obtulit, circa annum M.D.V.VT ex sanctæ Cappellæ archiuo constat; è quo ad hæc monumenta P. Franc. Chiffletius è Societate IESV Sacerdos, frater meus optimus, qui mihi in hoc Opere (dum opportunè moraretur Camberij) fraternam opem suam egregiè præstitit.

Iam concursus populorum, maximè cùm ad Vernetum campum spectanda Sindon exhiberetur, maximus fuit. Satis constat, B. Amedeum etsi non firmis viribus, sæpè tamen à Subalpinis ad Transalpinos humili cultu habituque, adorandæ causâ Sindonis, pedibus profectum; insequente etiam Yolanda à Franciâ, religiosissimâ coniuge. Carolum item Ducem, discusso sæuæ luis periculo, auito exemplo, traiectis itinere pedestri Alpibus, cum duodecim non ampliùs (quos sibi adiunxerat) viæ comitibus, Camberium anno M.D.XXII. ingressum, vota pro salute reduci ad sanctam Sindonem persoluisse. Quin & Franciscum Primum, Francorum Regem, voti reum, quod ad sacrum Linteum in summo Italici belli discrimine conceperat, Lugduno Camberium, anno M. D. XVI. raro religionis exemplo pedibus aduenisse: referentibus Adorno & Pingonio. Ex
qui-

quibus intelligas, sacrum illud pignus Camberij quantâ semper in veneratione fuerit.

Nec verò diuina bonitas vinci se passa est officiis: præter ea miracula de quibus suprâ, quæ tam contingere cùm primùm Sindon in Allobrogum potestatem venit, complura alia censentur sanè memorabilia. multa paucis strinxit Pingonius. *Dehinc non dictu est facile* (inquit) *quot nuncupata vota feliciter successerint, quot miraculis illustratus sit locus, comprobata conseruataq; loco sincera fides, & maiorum pura religio. Hic mutos loqui, audire surdos, videre cecos, claudos ambulare, leprâ affectos mundari, cacodæmone vexatos liberari, mortuos denique reuiuiscere, quoties visum est, & non semel admiratû?* Testes sunt fixa ad sacros postes tabulae, siue programmata, chartophylacia, codicilli publici: testis vniuersa Europa, cuius cû nulla non tam remota pars huc accurrerit, nullus non voti compos ad suos lares rediit. Hæc ille; qui deinde reliquis paginis vario poemate oppletis, vix quina senave miracula recenset. Indolui, & rerum gestarum monumentis apud Sabaudos summâ licet diligentiam disquisitis, vix aliud quidquam comperi. In Sacello S. Sindonis, quatuor non amplius tabellæ extant, eaque vel nullâ, vel situ pænè obliterated epigraphâ. Vna est adolescentis absque læsione ex ponte editissimi

124 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
mo prolapsi; altera languentis puellæ: de quibus
mox distinctiùs. Tertia adolescentis cuiusdam,
qui (quantum ex laceri pæneque consumpti
Epigrammatis verbis quibusdam colligere est) vi
morbi penitùs excæcatus, nouemdiales ad Sin-
donem preces vouerat, & post triduum ab illis
inchoatis, visum diuinitùs recepit: non est adscri-
ptum tempus; sicut neque quartæ tabulæ, ex quâ
colligi videtur, feminam membris captam, quæ
non nisi ligneis fulcris nixa incederet, voto Sin-
doni nuncupato, incolumem abiisse. Plura ne
quære in S. Sacello; nam in archiuo, ne verbum
quidem. Fama est tamen, & affirmant viri adhuc
superstites, prostitisse olim in eo Sacello anathe-
mata plurima, quæ de frequentibus miraculis fi-
dem facerent: ea verò vel incendio absumpta, vel
aliâ temporum iniuriâ excidisse. Sed neque ipsa
miraculo caruit miraculorum consumptrix flam-
ma: historiam accipe ipsis Pingonij verbis, qui
rei gestæ interfuit. *Sed dira, inquit, bellorum præsa-
gia anno M.D.XXXII. demonstrata sunt, cum secundo
Nonas Decembres, Barbara Virginis festo die, no-
cte mediâ vix illabente, illud arcis Sacellum, in quo
Sindon reponebatur, flammis incognitis exarsit: ac-
currebant omnes, sed omnium diligentissimus Phil-
bertus Lambertus, Ducis à clauibus & consiliis, ascii-*

to secum ferrario fabro Gulielmo Puffodo nomine, & Franciscanis duobus; imperterrito animo per medios ignes gradiuntur, cancellos ignitos aræ maximæ affixos, seraq; effringunt, Sindonem iam liquefactâ capsâ argenteâ extrahunt, & integram, cedente circum flammâ, reportant. Effusis ignibus grassabatur incendium, absumebantur marmora & columna; sed potentiore priorum hominû fide, viq; Numinis, superata est ignis natura: fugiebant flamma, & qui putabantur arsiuri, velut frigidore perfundebantur, seq; ipsos sunt admirati, velut illis quondam Hebraeis pueris contigisse credimus. Istud equidem palam omnes vidimus (tunc enim aderam) & obstupuimus. Nec multò post Sindon publicè representata est integerrima; præter quòd (extra tamen sacræ iconis partes) in complicatu, exigua quadam ambustionis nota, veluti perpetua miraculi testes remanserunt. Nihilominus non defuerunt, qui exustam eam mox falsò prædicauerint. Quem casum ubi Clemens VII. Pont. Max. accepit, rem Ludouico Gorreuodo Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato committit, qui inquisitione diligenti factâ, eam ipsam Sindonem, quæ antè fuerat, ob signatis tabulis affirmavit. Datæ sunt eæ Tabulæ decimâ quintâ Aprilis, anno M.D.XXXIV. ac postero die, (decimâ sextâ Aprilis) in publicâ Supplicatione Legatus ipse Apostolicus, ad diuæ Claræ Cœnobium in-

tra mœnia , sanctam Sindonem detulit , à piis Sanctimonialibus, ex leui illâ ad angulos adustione, restituendam: quo facto sacer pannus pari solemnitate, & populi frequentia, in arcis Sacellum reportatus est. Sapienter super hoc miraculo philosophatus est Simon Maiokus Episcopus Vulturariensis. *Nec fortuitò id factum existimandum est, inquit, ut scilicet ambustionis in linteo signa conspicerentur, in icone autem nulla prorsus fuerit lesio. Id enim contigit, ut eâ ex re miraculi magnitudo adaugeretur, Sanguinisq; Christi privilegium fuisse cognosceretur, non lini Cyprij aut Indici, quod non exuritur: nam si id humanâ arte fuisset aut pictum, aut delibutum, aut fortè lino Cyprio tela contexta putaretur, utrique rei unum respondet miraculum: seruato enim lino, pigmenta omnia igni fuissent obliterated, emundato, non combusto lino: quod tamen tunc contrâ euenit, ut scilicet linum certis locis combureretur, sanguis illæsus perseueraret; ut non lini Cyprij privilegium aut natura, sed diuina in icone potentia manifestaretur. Adde, & hoc magis videri cuipiam potuisse, Sindonem è lino Cyprio, siue amianto textam, nisi leuiter adusta fuisset, quòd ea è Cypro allata crederetur.*

Tom. 1.
Coll. 2.

CAPVT XXI.

Alia Sindonis Allobrogica clariora miracula.

AB illo incendio, quo superiorum temporum votiua tabulae, & anathemata deflagrarunt, memorabilia aliquot per adorandum Linteum accepta diuinitus beneficia feruntur. Primum illud quod carmine adumbravit Pinguonius: Puellam Camberianam N. Fusinam Guillielmi filiam, tantus inuaserat languor, ut stratis perpetuo affixa, ac trunco similis, vix aegra membra traheret: multis igitur in subsidium frustra vocatis numinibus, rogat denique parentes anno M.D.XXXIII. mense Maio, ut ad sanctae Sindonis Sacellum se deportari curent. Curant; ibi dum preces fundit, manus primum mouere incipit, tum assurgit in pedes, ac per seipsam graditur. In ipso loco percurata, actis Deo gratias, longam vitam exinde viuit. Atque huius, ni fallor, miraculi *μνημόσυνον* tabella in Sacello superest, iacentem in cubili puellam vtcumque referens. Ab illa malum praesens depulsum, alius imminenti exitio subductus est. Ad Rumiliacum Sabaudiae oppidum, quaternis quinisque à Camberio leucis communibus dissitum, geminos colles à vertice

com-

128 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
committit pons lapideus , quem torrens amnis
vulgò *Cherant* dubiis incrementis subterfluit: lon-
gitudò pontis passuum circiter quadraginta, alti-
tudo summa vrbicularum ædium tecta, adeoque
turres ipsas æquare dicitur; qui mensi sunt, affir-
mant, quò altissimus est, quinque & sexaginta
Geometricos pedes attolli. In eo ponte dum e-
quitat Rumiliacensis adolescens (Petro Burgun-
do nomen fuit) chirurgi filius, fortè in alium item
equitem incurrit: & nescio quibus intemperis
inter ferocientes equos oritur rixa, cum horrido
hinnitu; nec fræno sustineri potuerunt: incutitur
alter alteri; & Petrus cum equo, quo ferebatur, è
ponte præceps ruit. Vidit eminus periculum in-
felix pater, *O sancta Sindon*, ait, *filium meum*
serua. Iuuit dixisse, contrito equo contusoque,
adolescens illæsus ac sospes euasit. Hoc Aprili
mense anni M. D. xxxiv. & versu rem depinxit
Pingonius. Appensa in sancto Sacello tabu-
la beneficium testata est; & Petrus Burgundus
Camberium itare solitus, ibique se Seruatori
Christo clientem sistere, centenariò pænè par à
paucis annis extinctus fertur. Sunt qui à matre
pro filij salute in clamoribus Sindonem dicant,
quòd in tabellâ flexis genibus in extremo ponte
depicta sit: sed gratias agentis illa est imago, non
vouen-

vouentis; cùm Pingonius tunc viuens, & fama communis id patri ascribat. Verùm vt sit, seu pater votum concepit, siue mater, sacrosanctæ Sindonis ea virtus fuit, & Dei munus; qui si cui benignam manum supposuerit, næ ille *cùm ceciderit, non collidetur.*

Sacri Linteï vim affirmant ista in res corporeas; quod subiiciam, etiam in spirituales, adeoque in ipsos humani generis crudelissimos hostes. Incesserant mali genij viros aliquot, ac foedum in modum distorquebant. Igitur mense Maio anni M.D. xxxv. cùm Sindon de more spectanda populo proponeretur, adducti energumeni ferreis vincti catenis, horrendo vlulatu & inconditis clamoribus omnia complebant: mox vt in panno explicato diuini Sanguinis ac Vulnerum notas suspexere, *Deus en adest*, exclamant, *abimus.* Dictum, factum: erupere cum fulgore ac nebulis, stupente turbâ. Miseri illi sibi ac suis redditi, Dei beneficium agnouere. Hæc metro illigauit Pingonius, testis ipse oculatus: & fama est, sic persæpè cacodæmones, cùm propalàm Sindon ad Verneteum campum exhiberetur, è mortalium quæ inuaferant corporibus exturbatos.

Sed iam Sindonis dignitatem vel muti ipsi prædicent. Referam quod contigit in Pingonij villâ

R

Spi-

130 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
Spineteâ agri Taurinensis, quinto Kalendas No-
uembris, anno M.D.LXXVIII. aliquot hebdomadis à
Sindone Taurinum translata; de quâ translatione
dicendum inferiùs. Vtar verò Pingonij verbis ip-
sis eò libentiùs, quòd in domestico miraculo de-
scribendo diligentior fuit. *Dum scribendi finem
facio, stylum iterùm rei nouo miraculo adducor sume-
re, quod vidi, quod domi gestum est, quod tota nouit
vicinia. Id unum testor ego, nec subticere possum aut
debeo. Anno superiore mutum quemdam Philiberta
uxor in villâ Spineteâ nostrâ, agri Taurinensis, alen-
dum fouendumq; commiseratione ducta susceperat.
Is quinquennio antea ostiatim victum quaritabat,
nutu & articularum signis animi sensa, non voce ali-
quâ exprimere poterat, nisi quòd sicuti bruta ulula-
ret; lingua in globum contracta, mandenti etiam offi-
cium negabat, atque iniectis in os digitis, tritum den-
tibus cibum in fauces demittere cogebatur. Miseran-
dus certè adolescens, ceterùm ad operas non impiger,
frugi, fidus, amabilis, acri memoriâ, nec tar do ingenio,
& ad pietatem procliu. Quid accidit? Nuper cum
Dux Emmanuel monitos quoscumque per praconem,
ad urbis compita, tubis resonantibus voluisset, ut ad
spectandam Sindonem statis diebus pararentur, ieiu-
niorum, orationum, eleemosynarum beneficio, noxa-
rum denique expiatione: ipse quoque, (ut patremfa-
miliâs*

miliæ decet) & uxor, domesticos ad idipsum sumus exhortati. Muto inprimis varia exempla adducta sunt, quibus loquendi facultas diuini Numinis uirtute (cuius certissima uestigia in Sindone refulgent.) est restituta: idq; superioribus annis, Burgunda uirgini nobilissima, Camberij in ipso Sindonis aspectu feliciter obtigisse adferebatur. Ille uero hæc secum ita agit, ut exactis aliquot post diebus, tandem summo mane, qui dies v. Kalendas Nouembr. septuagesimo octauo de uillâ redit, iam non mutus, mirantibus nobis fatur, & palam genibus inclinatus, gratias Deo agit, sanctamq; Christi Sindonem laudibus extollit, quam quinquies uidisse se, ad quinque Vulnerum Christo illatorum memoriam affirmat, & ieiunia quadam, quoad uixerit, Deo uouisse. Atque cum ieiunare cepisset, præcedente nocte, somno profundo excitatum, dissolutam sibi linguam, cum cruoris effusione, cruentum os ubi aquâ abluit, IESVM CHRISTVM exclamauisse, CHRISTIQUE SINDONEM, atque ita sospitem redditum fuisse. De singulis à nobis rogatus certiores nos facit, Baptistam se uocari, Chary oppido natum, patre Michaële, obscuro genere, matris nomen ignorare, & ijs iam diu orbatum, decimum octauum annum attingere, ut ex aspectu dignoscitur; sex abhinc annis non fuisse locutum, inuadente quodam morbo, siue magis cuiusdam malis artibus conti-

R 2

gerit:

132 DE LINTEIS SEPULCHR. CHRISTI
gerit: linguam nunc explicatam profert, nulla nodi aut
cicatricis apparent vestigia, nec ad mansum ullis ultrà
opus est dactylis: & (ut paucis) quod prius apud ho-
mines desperatum fuerat, presens Dei maximi
summo munere, remedium adeptus fuisse cernitur.
Ab hoc tempore pauca omnino censentur mira-
cula, eaque potius in communi sermone, quam
in scriptis; quæ quia nec valdè illustria sunt, nec
fatis explorata, idcirco omittenda censui.

C A P V T X X I I .

*Quæ in loca Camberio deportata S. Sindon:
Taurinum denique ut venerit.*

SACRAM Sindonem Camberio exportatam
primùm lego anno M.D.III. ad paucos dies, ut
in Sebusianis Philippo Hispaniarum Regi spe-
ctanda præberetur: nec multò post à Claudiâ Du-
cissâ in arcem Billiacam ad triennium, nempe
ad annum vsque M.D.VI. Exinde à Carolo Duce
anno M.D.XXXV. in Subalpinos; apud quos se-
ptem & viginti annos seruata est: ac anno tan-
dem M.D.LXII. postliminiò reuerfa, sed ad sexde-
cim dumtaxat annos; quibus elapsis Augustam
Taurinorum inuecta est. Singula persequor. *Phi-
libertus quoque Secundus* (inquit Pingonius) *Phi-
lippa*

lippi ex priore coniuge Margaritâ Borboniâ filius, cum patri successisset, duxissetq; Margaritam Austriacam, filiam Maximiliani Imperatoris, sororemque Regis Hispaniarum Philippi, hunc ipsum Philippum in arce Pontis Indis, Sebustiani agri, splendidissime excepit anno M.D.III. & spectanda Sindonis ibi (quâ potissimum de causâ venerat) copiam fecit. Demortuo mox Philiberto, Carolus ex secundis nuptiis frater, cum Claudiâ matre rerum potitur. Hæc sanctimonia incomparabilis femina, inter pretiosum mundum & iocalia hanc habebat Sindonem, & in Billiacâ arce Beugesij, ubi ad pietatem secesserat, religiosè diu conseruauit; donec anno M.D.VI. Caroli filij Ducis precibus, & patriæ votis, Camberianis populis restituit. Mox alterâ sequenti paginâ, Nec multò post, ait, ingrauescentibus bellis, expulsq; Carolo Duce anno M.D.XXXV. pignus illud reditur & aliquando salutis, ipse secum studiosissimè Vercellas detulit, & quamdiu vixit conseruauit. Eo verò vitâ functo anno M.D.LIII. expilatis à Prorege Carolo Cosseo Brissaco, mense Nouembri Vercellis, nihil tamen Sindoni sinistri contingere potuit: ille siquidem cum asseclis appropinquans, obstupuit, pedem retraxit, hæc inuiolata Sindon Emmanueli Philiberto successori conseruata est. Posteaquam autem fauente summo Numine pax illuxit anno M.D. LIX. restitutusq; est Emmanuel, du-

*Etâ Margaritâ à Franciâ, Regum filiâ, sorore, amitâ,
 & matre verè Regij Caroli Emmanuelis; Sindonem
 hanc Camberij reportari piè iussit, anno M.D.LXII. Per
 hæc quoque tempora Sindonem Niciæ aliquam-
 diu asseruatam fuisse, minimè dubium est, affir-
 matque Salmeron tunc viuens. Sindon etiam
 munda, inquit, quâ fuit sepeliendus Dominus, &
 inuolendus à Iosepho ab Arimathiâ, quæ etiam ho-
 die Nicææ ostenditur, reliquit integram Christi figu-
 ram, &c. Et Tractatu quadragesimo nono: Hanc
 autem (Sindonem quæ vtramq; corporis faciem
 refert) Dux Sabaudia in ciuitate suâ Ducali, vulgò
 Zamberic, prius habuit; deinde verò propter bella in
 Nicæam Prouincia ciuitatem transtulit; ubi in die
 Sabbati sancti venerabiliter toti populo spectanda
 proponitur. Vt denique Camberio Taurinum Sin-
 don translata sit, autumno anni M. D. LXXVIII. sic
 narrat Pingonius ipso initio sui libri: Laboratum
 est graui pestilentiâ annis superioribus per maiorem
 Italia partem; Mediolano maximè male cecit: peius-
 que timendum fuerat, nisi tot, tantis populis, tanta
 tamque ampla ciuitati fauissent Superi, & à Superis
 demissus Carolus Borromæus tituli S. Prædixis Car-
 dinalis, & regionis Archiepiscopus vigilantissimus,
 opem sedulam tulisset. Is opibus quibus abundat, egen-
 tes leuare, præsentia suâ morbo implicitos confirmare,*

ora-

Tom. 10.
 Tr. 35.

oratione quâ pollet, & reipsâ languentes passim erigere, diuino etiam cibo reficere, nihil contagionis aut periculi deuitare, nihil humile aut minimum detrectare: quantum animo conniti, officio & labore contendere posset, id omne aquâ omnium & vnâ salutis ratione exponere. Cùmque vetus fama inoleuisset, Camberij Sabaudorum emporio sacrosanctam Sindonem religiosissimè asseruari, ad quam nulli frustra aduersis temporibus confugissent, ille quoque, uti vir eximiè religiosus ac pius, ad ea vota confugit, & eò pedes accedere, supplexq; ibi Numen implorare & venerari proposuit. Quam rem ubi Dux Emmanuel Philibertus intellexit, non modo excipiendi tanti viri, sed etiam minuendi longi itineris, vel iniecto ipsis Transalpinis populis summo spectandæ Sindonis desiderio, cogitationem suscepit. Itaque quamprimum Camberio Taurinum aduehi Sindonem, paucis arbitris (quasi aliud agens, uti ferunt tempora) mandat, comitante viro grauissimo Ludouico Millieto Fabricarum Barone, Sabaudi Senatus summo Præside, qui paulo antè ad fœdus Helueticum feriendum solemniter à Duce ascitus fuerat. Tunc fortè Dux in Lucenti castellum, ad primum ab vrbe Taurinâ lapidem secesserat, qui ad se primò allatam Sindonem magnâ cum veneratione prostratus excepit. Hoc Nonis Septembris anni huius seculi LXXVIII. atque ad XVIII. Kalendas Octobres,

bres, Taurinum adducere distulit: quo die Exaltationi Crucis sacro, nihil ad pietatis carimonias prætermis- sum fuit. Multis deinde persequitur celebritatem peregrinationis S. Caroli Borromæi, quam etiam longâ Epistolâ descripsit Franciscus Adornus è Societate I E S V, qui sancto Carolo in eo itinere comes fuit; & retulit Ioannes Tonsus in Vitâ Emmanuelis Philiberti. Afferit porrò Pingonius, Ducem Emmanuelem Philibertum, pluribus literis anno M. D. LXXVIII. ad Camberienfes datis, Sindonem ipsis se restitutum promississe: & fertur, Carolum Emmanuelem Ducem, ac Victorem Amedeum Principem eius filium, idipsum Camberiensibus pollicitos. Sanè queruntur Sabaudi, ex quo diuino illo pignore ac præsidio spoliati sunt, se perpetuis calamitatibus conflictatos: adduntque, Sindonem diuinitùs sibi adiudicatam videri, tum prisco illo muli ad portam Camberiensem consistentis miraculo; tum verò etiam, quòd multò pluribus atque illustrioribus apud se miraculis claruerit, quàm ex quo trans Alpes deuecta est.

CAPVT XXIII.

*Aliquid pro veritate Sindonis Taurinensis, contra
sententiam iniquam Clementis Antipapa.*

HENRICVS de Pictaviâ, & Petrus de Arceys, Trecenses quondam Episcopi, de hac Sindone, cum in ipsorū Dioecesi asseruabatur, quàm malè senserint, ex dictis Capite decimosextimo satis intellectum est; quidque Clemens VII. Antipapa temerè de illâ sanxerit. Quod quia passim iactari scio in Franciâ & Burgundiâ, per quas plurima tabularum ad Sindonem Allobrogicam pertinentium sparsa sunt exemplaria, mearum partium esse duxi, scrupulum hunc populo eximere; ne cuius Sindonis cultus tantum piis mentibus præsidij attulit atque emolumentum, ea, sensim latius sparso illo rumore, aliis atque alijs despectui esse inciperet. *Nihil tam sacrum est*, inquit Seneca, *quod sacrilegium non inueniat*. Et verò, si ipsa, quibus certius esse nihil potest, fidei nostræ mysteria, integri aliquando, & maximi populi, Arii, Nestorij, Caluini, Lutheri, aliorumque hæresiarcharum deliria secuti, vocarunt in dubium; mirum nemini videri debet, si de Christi ac Sanctorum veris Reliquiis, quibusdam in locis

S ali-

138 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
aliquando dubitatum est. Scio, quod ex S. Augu-
stino & Glabro refert Baronius, anno Chri-
sti CCC. LXXXVI. & rursus anno M. XXVII. extitisse in-
terdum quosdam, qui falsas Reliquias lucrî causâ
distraherent: sed impostores illi coërciti sunt, &
patefactæ illorum fraudes, non ferente Deo, vt in
iis quæ ad Religionem spectant publicus error in
Christianum populum irreperet. Et quamuis he-
reticus hoc ipso non sit (vt docent Theologi) si
quis de quarundam Reliquiarũ veritate dubitet:
qui tamen pretiosiora quædam Lipsana, & longo
temporis decursu præcipuâ Religione culta, &
à prudentissimis quibusque pro veris habita, &
clarissimis diuinitus affirmata miraculis in du-
bium reuocet, næ ille stultissimæ temeritatis reus
iudicandus sit, & hæretico proximus. Iam Sin-
donis Allobrogicæ sanctitatem quid non com-
mendat? testimonia de cælo data recensui; quòd
qui eam furto abstulerant, cælitus castigati, cæli-
tus curati; quòd flammis inuicta, quòd dæmo-
nibus terrori, quòd saluti periclitantibus fuit.
Quid quòd tam diu tractata, vsu ipso non deteri-
tur? quid fulgor ille diuinus, qui nec eam à picto-
ribus exprimi patitur, & intimum pietatis sen-
sum, sacrumque horrorem, ac lacrymas ciet,
num cæleste nescio quid, & humano maius of-
tendit?

tendit? Quid quod Xystus IV. Pontifex Maximus in Opusculo de Corpore & sanguine Christi, in hoc sacro Linteo verum Christi sanguinem & imaginē, ab ipso Christi corpore diuinitus impressam conspici asserit: quod Sindonis elogium refert & amplectitur Iulius II. dato Diplomate ad annum M. D. VI. additque insuper, eam Sindonem, quippe sacri corporis & sanguinis attactu consecratam, non minùs quàm veram Christi crucem adorari debere? Quòd si constitisset, vt exposuit Petrus de Arceys, pannum illum humanâ manu depictum fuisse; cur quæso eum Gaufridus de Charny Lirensis Ecclesiæ piissimus fundator, tam pretioso scriniolo, propriis cælato insignibus reposuisset? cur Gaufridus alter, Gaufridi fundatoris filius, causam illam de ostensione Sudarij, ad Regem, ad Legatum Pontificium, ad Pontificem euocasset? cur Lirenses in Reliquiarum suarum Catalogo (suprà relato, in litteris Humberti Comitis) Sudarium primo loco reposuissent? cur dixisset Præpositus Trecentis, in Instrumento superiùs citato, anni M. CD. XLIX. *illud Iesu Christi Sudarium, esse præcipuum iocale Lirensis Ecclesiæ?* cur denique Margarita, rei ad familiam suam pertinentis satis conscia, eam Sindonem semel adepta, tam obstinatè retinuisset, vt

non Lirensium flagitationibus, non Iudicium sententiis, non mulctis pecuniariis ad eam restituendam vniquam adigeretur? nouerat illa scilicet domestici thesauri pretium, quod in Lirensi opidulo vel ignotum delitescere, vel prædonibus propositum esse, pati non poterat. Falsa igitur, & diuinis humanisque testimoniis repugnantia locutus est Petrus de Arceys, siue quia ob præpeditam in eâ causâ auctoritatem suam, grauius commoto, de suo aliquid affingere promptissimum fuit; siue quia in rebus tot ante annos ab Henrico Episcopo gestis, hallucinari facile potuit. Pudet equidem in Episcopo Catholico idipsum cernere, quod in nefandis hæreticis Ecclesia damnat: licuerit enim Petro de Arceys miracula Lirensis Sindonis criminari, & pro confictis habere (qui hæreticorum hodie mos est,) quid verò dicturus esset de miraculis, quæ per illam apud Allobroges, tam multa tamque illustria contigere? num ea vocaret in dubium, quæ luce palam, in oculis ciuitatum ac populorum patrata sunt? Iam vt ad Trecensium Theologorum ineptias veniam, qui Christi corporis figuram remansisse negant in Sindonibus, quòd talis relictæ figuræ, nulla in Scripturis fiat mentio: ecquid aliud in sacra Sudaria iactauit Calvinus? *Euangelista*, inquit, non scri-

scribunt Christum imaginem sui corporis, Sindoni illi impressisse; mentiuntur ergo Papista, & imperitam multitudinem miserè seducunt, cum hoc affirmant.
 En quo patrono gaudet præceps ipsorum & temeraria sententia. Audiant igitur cum Caluino, quomodo & sacris Linteis impressa Christi effigies, & aliæ non scriptæ traditiones, in Scripturis ipsis delitescant: *Sunt & alia multa, quæ fecit Jesus,* ^{Cap. vi.} *(inquit Ioannes) quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* Quod denique addidit Petrus, Sindonem Lirensensem arte humanâ depictam fuisse, tam mihi falsum esse constat, quàm verum est illum ex invidiâ, aliâve animi perturbatione, (inde scilicet exortâ, quòd duplici iam sententiâ silentium ipsi in causâ Sindonis impositum fuisset) talia fingere potuisse, aut, vt quàm mitissimè loquar, res ignorare ante annos triginta quinque in eâ controuersiâ gestas ab Henrico de Pictaviâ; inter quem & ipsum, alij duo Trecentes Episcopi intercessêre. Omnino, cui micamentis supersit, ad libranda rerum momenta; quiq; tot legitimorum Pontificum sanctissima æquissimaq; decreta, bruto illi Pseudo-Pontificis fulmini, & paucorum perturbationi, tot diuina humanaq; testimonia opponere no-

142 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
rit; libellum Petri de Arceys, atque etiam Cle-
mentis Antipapæ edictum, cuius piperis cucul-
lo posthabebit.

C A P V T X X I V.

*Sindonem Taurinensem unde Gaufridus de Charny
trecentis pænè abhinc annis acceperit.*

Hic se noua aperit quæstio, vndenam Gau-
fridus Charniensis veram illam Christi
Sindonem acceperit, quam trecentis pænè ab-
hinc annis in Lirensi Ecclesiâ à se fundatâ con-
stituit. Ac mihi quidem historiarum monu-
menta, resque præsertim à Gaufrido gestas perlu-
stranti, certi nihil occurrit. Natus est Gaufridus
clarissimâ in Burgundiæ Ducatu familiâ *de Char-*
ny, cuius hodieque nomen retinet latissimus ager
(diruto eiusdem nominis castro) à Chabotio-
rum gente nunc possessus. Hunc apud rerum
Francicarum Scriptores primùm lego anno Chri-
sti M. CCC. XL. à Philippo Valesio Francorum Re-
ge, cum aliis Ducibus ac Magnatibus, Tornacum
missum, ad tolerandam, quæ ab Eduardo III.
Anglorum Rege parabatur, obsidionem. Inde
anno M. CCC. XLII. præfectum postremo agmini
exercitus Francorum in Britanniam ducti ad Ve-
netos

netos (seu Vannetenses) Anglorum obsidione liberandos. Tum anno M.CCC.XLVI. Bethuniæ in Artesiæ Comitatu, per tres hebdomadas obsessum à Belgis, qui cum Anglis in ita societate Francos insectabantur; eos denique re infecta abire coëgisse. Ad hæc anno M.CCC.XLVII. quo tempore Anglus Calitium obsidebat, in exercitu Philippi Regis, gestasse Regium vexillū, Aurisflammam. Postea cum Picardiæ fuisset constitutus Prorex, Kalendis Ianuariis anni M.CCC.XLIX. ab Aymerico illo Longobardo proditum, venisse in hostium manus: deinde verò liberatum (diuinitus an humanitus, alibi dixi) anno M.CCC.LI. ad Ardeam, vicinam Calitio urbem, cum aliis Francis, Anglorum aciem insigni prælio profligasse: ibique captum inter ceteros Aymericum proditorem, iussu à Gaufrido in perfidiæ pœnam, apud S. Audomarum quatuor in partes distrahi. Anno denique M.CCC.LVI. XIX. Septembris, in funestâ illâ clade Pictaviensi, in quâ haud procul Augustorito Pictorum, captus ab Anglis, Duce Valliorum Principe, abductusque in Angliam Rex ipse Ioannes, eiusque filius Philippus Dux Turonensis, postea Dux Burgundiæ, cognomento Audax, cæsus Dux Atheniensis Comestabilis, profligata miserandum in modum Francica Nobilitas, ipsum

144 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
sum quoque Gaufridum de Charny, Regium ve-
xillum gestantem cecidisse. Verùm in his omni-
bus nihil ad Sindonis originem. Ioannes Bote-
rus in Ludouico Sabaudia Duce, dicit eam à Re-
ge Ierosolymitano in Cyprum allatam. Papirius
Massonus item in Ludouico, Ierosolymis adue-
ctam ait à Cypriis Regibus. Ioannes Tonsus à
Regibus Ierosolymitanis ad Reges Cyprios per-
uenisse. Similia Alphonsus Paleotus, & ex his
alij recentiores. Sed cùm isti omnes, vno excepto
Massono, errent in Margaritæ familiâ ac patrio
solo, nec meminerint Sindonis à Gaufrido Char-
nienti olim in Galliis possessæ iam inde ab an-
no M.CCC.LIII. pronum est suspicari, hos Auctores
ab Annæ Cypriæ (cui Sindon à Margaritâ pri-
mò tradita est) familiâ inductos fuisse, vt Sindo-
nem è Cypro deriuarent. Margarita de Charny
in tabulis citatis anni M.CD.XLIII. Sindonem illam
asseruit ab auo suo Gaufrido bello partam; sed
vbi, & quo tempore, minimè aperit. Illa haud
dubiè è Palæstinâ in Græciam allata fuerit, inde
verò in Franciam per sacros milites. Quibuscum-
que tandem viis, & quacumque ratione facer ille
pannus ad Gaufridum peruenit, constat eum esse
ex illis vnum, quem ipsummet Christi corpus suis
distinguit lineamentis; siue eo linteo inuolutum in
sepul-

sepulchro fuerit, (vt vulgus existimat;) siue obte-
ctum dumtaxat ante pollincturam, de quo nunc
agendum paulò accuratiùs.

CAPVT XXV.

*Sindonem Allobrogicam excepisse cruentum Christi
corpus, & de Cruce recens depositum; non illud in
sepulchro post pollincturam obtexisse.*

PINGONIUS & Paleotus Caluino & hæreticis
obiicientibus, Sindoni, si vera esset, debuisse
imprimi institarum notas, quibus ex ritu sepul-
turæ Iudaicæ, Christi manus & pedes ligari o-
portuit; non autem capitis, quod proprio Suda-
rio inuoluebatur; respondent, ideò non apparere
institarum vestigia in Sindone Taurinensi, quòd
ea sacrosanctum Christi corpus non in sepulchro
ipso iam lotum, vinctumque, ac institis ligatum
complexa sit, sed cruentum, & recens è cruce de-
positum exceperit. *Numquid enim non conueniat*
(inquit Pingonius) Christum mortuum duos nobi-
lissimos habuisse pollinctores, vnum Iosephum Ari-
mathensem Decurionem, assiduum siue diuitem; al-
terum Nicodemum, itidem virum pium: emptam-
que à Iosepho Sindonem mundam, à Nicodemo aro-
mata aloës & myrrha: Sindonem, vt depositus de

T

CRU-

cruce Christus illicò tegetur, inuolueretur, honestè
 exciperetur, donec de sepulchrâ & apparatu prospere-
 tum esset, & inuolutus in monumentum deferretur:
 aromata autem, ut postquam delatus esset in hor-
 tum, ad fores monumenti, ritè lauari, inungi, linteis
 sive ligaminibus aut fasciis, quæ odórea iam diximus,
 obligari posset. Atque ita utrumque subsistet, & Sin-
 donis veritas, & sepultura ritus. Neque certè pollin-
 detur a eò loci satis commodè aut honestè ab officiosissi-
 mis viris peragi potuit, neque satis tutè, cum maxime
 Iosephus dicatur à Joanne occultus fuisse Christi disci-
 pulus, propter metum Iudaorum. Igitur distinctè ut
 dicamus, hunc sepulturae apparatus hoc ordine rectè
 exposuerimus: ut Ioseph primò corpus Iesu è cruce re-
 ceperit; secundò receptum hac Sindone inuoluerit, se-
 contexterit potius, tertio ad ostium monumenti dela-
 tum, unguentisq; delibutum, aliis linteis ad hoc ipsum
 paratis circumuoluerit, sicq; ligatum, atque inunctum,
 patriæ more sepulchro condiderit. Quis enim vero si-
 millimum non dicat, Iosephum non aliter mundam
 Sindonem mercatum fuisse, quàm ut sacrosanctum
 corpus de cruce depositum statim exciperet, totumque
 à capite ad pedes, ad decorem & reuerentiam obnube-
 ret? Quare rem sic se habuisse dixerimus, Sindonem
 hanc pedes circiter duodecim longam, tres latam & eo
 amplius, stratam extensamq; primum humi, aut in
 appa-

apparatâ tabulâ fuisse, tum de cruce refixum, dedu-
 ctumve, medio linteo ad tabulam superimpositum;
 deinde Sindonem reliquam à capite ad calces reiectam,
 & toti corpori accommodatam; atque ita elatum, &
 in monumento positum. Inde facile contigit, ut corpus
 flagris, sentibus, plagisq; acerbissimis recens saucium,
 eductis clavis, cruore fluens, tabo sudoreq; madens, re-
 fricatis ex agitatione corporis vulneribus, ex vuido in-
 tinxerit, singula impresserit, & ipsammet formam in
 Sindone representauerit, concurrentibus circa medium
 linteum verticibus, complicatis manibus, & pedibus
 ad utramque oram hinc inde protensis, unde auersi &
 aduersi hominis adumbratam effigiem, & integram
 symmetriam, quasi quibusdam descriptis delineamen-
 tis deprehendas, præsertim si ex obliquo, captato figuræ
 lumine, remotis facibus intueare: ut videre est, non
 modò contemplari, argumento ab effectu & reipsâ
 validissimo. Hæc ille accuratè fatis; cui si quis op-
 poneret Bullam Iulij II. datam anno M.D.VI. vbi
 dicit Sindonem Camberiensẽ eam esse, in quâ
 Dominus noster Iesus Christus in monumento posi-
 tus, inuolutus fuit; responderet, (& appositè)
 Pontificem non eo loco decretum sancire, sed ex
 vulgi sententiâ loqui. De hac igitur totâ re, ut
 dicam quod sentio, illud in primis affirmare au-
 sim cum Pingonio, Sindone Allobrogicâ non
 T 2 fuisse

fuisse inuolutum Christi corpus in sepulchro, sed tantum ante pollincturam, ex quo è cruce refixum est: quod quidem ut existimem, non facit ea quæ Pingonio id maximè videtur suafisse Caluini obiectione (alio enim loco rationem attuli, cur neque in Sudario Vefontino, quod intra sepulchrum ipsum latuisse dubium non est, institarum notæ extare debuerint;) sed alia argumenta maximè duo. Primum est, quòd in Taurinensi linteo cruenti corporis existunt vestigia, sparso in brachiis, vultu, pectore, humeris, aliisque corporis partibus, & coagulato sanguine, iis ipsis locis, quibus hæere debuit, pro situ & membrorum positione, quam Christus è cruce pendens habuit. Illum autem concretum sanguinem lotionem atque vntione detersum, dubitari nequit, cum neque vlla eius appareant vestigia in Vefontino Sudario, quod curato iam corpori appressum, retulit tantum notas sanguineas quinque Vulnerum grandiorum. Igitur Sindon Taurinensis non in sepulchro, sed ante pollincturam diuino corpori adhæsit, & diffuso circumquaque redemptionis sanguine liberaliter infecta est. Alteram rationem mihi suppeditat velum, (quod Aquisgrani ostenditur,) quo Christi crucifixi pudenda obtecta sunt; cuius veli in

vtra-

vtraque Sindonis parte distinctissimè cernuntur vestigia: vnde etiam probat Salmeron, Christum ^{Tom. 10.} ^{Tr. 35.} cruci affixum iis partibus tectum fuisse. Illud autem nemo iure dicet in sepulchro relictum, cum nullum eius vestigium extet in Vefontino Sudario; neque sic obtectas vniquam mortuorum partes, ratione vllâ vel auctoritate probari possit. Sic igitur rem gestam arbitror: deposito de cruce sacro corpori detracta est spinea corona, relictum velum quo partes obtegebantur. Quia verò nec commodè nec tutè satis curari potuit cadauer à Iosepho & Nicodemo viris honoratis, & occultis præ metu discipulis, in ipso cruciatus loco, debuit aliò deferri: at quomodo honestè, nisi tectum? In tabulâ igitur lignèâ, linteo stratâ extensum est; quod linteum deinde à capitis vertice ad pedes reiectum, vtrique corporis faciei adhæsit: sic obductum, delatum est ad pollincturæ locum, non procul à sepulchro; vbi ritè perfusum inunctumque, aliis pannis, & nominatim Sudario Vefontino inuolutum est. Sindonem enim quâ recens è cruce exceptum fuerat, quippe vndique cruentatam, perluto perpurgatoque corpori iterùm admoueri non decuit. Illud igitur Linteum, quo tectum Christi corpus à cruce ad pollincturæ locum deportatū est, Sindon est Taurinensis: quam

150 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
Pingonio non abnegem, præcipuè significari Sindone illâ mundâ, quam mercatus Ioseph, eaque depositum Domini corpus inuoluisse dicitur: quamquam ea vox *mundæ Sindonis* (vt alibi iam monui) ad sepulchralia quoque lintea extendenda videatur.

Cap. 20. Atque ex dictis apparet, Sindonem Taurinensem non esse Sudarium, quod Ioannes dicit fuisse super caput Domini; (quidquid in contrarium afferat Paleotus cum Mallonio:) nam Sudarium intra ipsa sepulchri septa corpus vestiebat; Sindonem autem illa intra sepulchrum non fuit. Quòd verò nec sit Sudarium illud, de quo mira refert Beda; alio loco demonstraui ex linteorum longitudine diuersâ.

C A P V T X X V I.

De Sindone Compendiensi.

COMPENDIENSES in Picardiâ Galliæ prouinciâ, seruant in Ecclesiâ S. Cornelij linteum candidum, ad instar serici aërij tenuè, quod *Christi Domini Sindonem* vocant; eò loci per Carolum Caluum, translatus ab Aquisgrano, vbi priùs habebatur munere Caroli Magni Imperatoris. Hoc manuscripti codices docent, firmantque
Nico-

Nicolaus Gillius in Carolo Caluo & Philippus de Bergamo in Chronico anno D.CCC.X. quibus operæpretium addere visum est Instrumentum hoc præclarum archiui Compendiensis.

Vniuersis orthodoxis atque fidei Catholica cultoribus, Focaldus de Bonneual Sueſſionensis Episcopus salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quòd hodie datæ presentium ex ordinatione, & sedulâ Domini nostri Francisci Francorum Regis piissimi huiusce nominis Primi efflagitatione, in venerabili Ecclesiâ Cœnobij B. M. Virginis, & sanctorum Martyrum Cornelij & Cypriani de Compendio, Ordinis S. Benedicti, ad Romanam Curiam nullo medio pertinentis in Sueſſionensi Diœcesi, nobiscum congregatis Reuerendis in Christo Patribus, Francisco Episcopo Ambianensi, Ioanne Oliuier Abbate Monasterij S. Medardi Sueſſionensis, ipsius Domini nostri Regis Serenissimi Chronographo; Nicolao Parent Abbate Monasterij B. Mariae de Vrsicampo Nouiomensis Diœcesis, sacre Theologiæ Professore; Fratrem Guilermo Parui, præfati Domini Regis confessionum auditore ordinario, & pro Rege assistente; necnon venerabilibus & Religiosis Fratribus, Roberto Orget Priore Claustrali, Petro de Marâ Thesaurario, Antonio Brion Priore Prioratus S. Petri Cœpendiensis, Ioanne Parquier Præposito, & aliis Religiosis dictæ Ecclesiæ

Com-

Compendiensis simul assistentibus; unà cum circum-
 spectis viris, Magistro Roberto Cenalis sacræ Theolo-
 giæ Professore, Pœnitentiarioq; Suefessionensi, Magistro
 Laurentio le Tondeur Curia spiritualis Cõpendiensis
 communi Vicario, Ioanne Datiches Ecclesiæ Collegia-
 tæ S. Clementis Compendiensis Decano; honorabili-
 busq; viris, Magistro Laurentio le Caron in Legibus
 Licentiatò, ac Domini Balliui Siluanectensis Locum-
 tenente, Magistro Petro Meurien Procuratore Regio,
 & Magistris Nicolao de Henault & Laurentio
 Thibaud Iurisperitis, memorati Cœnobij Compen-
 diensis Consiliariis, pluribusque alijs & Ecclesiasticis
 & secularibus viris, ad aperiendam capsam purissimo
 auro conflatam, gemmisq; pretiosissimis fabricatam,
 in quâ quidem sacrum & venerabile Lintheamen ab
 Euangelistâ Sindon munda nuncupatum, & quo
 Dominicum corpus triduo in sepulchro inuolutum est,
 ab Imperatore siquidẽ Carolo viro Christianissimo &
 totius Orbis Monarchâ magnifico, in præfato Com-
 pendienti Cœnobio repositũ, & cum cordis eximiã de-
 uotione in vase eburneo conditum, & postmodum in
 huiuscemodi capsâ, à Mathilde piâ Anglorũ Regina
 transmissa, ad Philippi Dei providentiã Francorum
 Regis Serenissimi deuotam intentionẽ, in eius præsen-
 tiã & plurimorum Reuerendorum Præfulum, alia-
 rumq; dignitatum personarum, unà cum innumeris
 plebis

plebis multitudine extitit introclusum; prout id nobis per litteras authenticas ipsius Regis Philippi, quarum subscribitur tenor, constanti fide innotuit.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Philippus Dei providentiâ Francorum Rex pijsimus, ammonitus diuinâ Dei propitiatione, & Fratrum Compendiensis Ecclesiæ supplici commonitione, & præcipuè creberrimâ flagitatione Christianissimæ Mathildis Anglorum Regina, placuit nobis, ut Domini & Saluatoris Reliquias, quas Imperator Carolus * vir Christianissimus, & totius orbis Monarcha magnificus, Compendij in loco Regio & venerabili posuerat, & cum summâ deuotione in vase eburneo condiderat, inde in aliud vas, quod prædicta Anglorum Regina auro, gemmis & pretiosissimis lapidibus mirificè ornatum & decoratum Ecclesiæ Compendiensi transmiserat, deponeremus. Factum est igitur hoc sicut ordinatum & dispositum fuerat ab Episcopis, & Christi fidelibus, die Dominicâ Latare Ierusalem, quæ est media Quadragesimæ: & peractis triduanis ieiuniis, exposita sunt illa sacrorum sacra, Linteamen videlicet in quo Dominicum corpus in sepulchro iacuisse perhibetur, quod Sindonem secundum Euangelistam nominamus. Et ex eburneo in suprædicto vase aureo deposita, cum gratiarum actione, & votis fidelium, congregatâ innumerabili

& infinitâ Christianorum multitudine. Ad memo-
 riam itaque tam præclarâ tamq̃ celeberrimâ solemni-
 tatis, statutum & decretum est à nobis, & ab Episco-
 pis nostris, quatenus prædicta Dominica mediâ Qua-
 dragesimâ, omni tempore solemnis & authentica,
 apud omnes fideles, qui ad eundem locum pro indul-
 gentiâ suorum peccaminum, per merita beatorum
 Martyrum Cornelij & Cypriani impetrandâ, omni
 annorum revolutione redirent, haberetur & celebraretur.
 His igitur feliciter expletis, & perpetualiter sicut
 decreuerat firmatis, donauimus eidem Ecclesiæ, Fra-
 tribus videlicet & Thesaurario communiter telonium
 totius negotiationis, necnon & latronem, &
 omne ius & iustitiam fori, telonium etiam panis,
 & omnia fore-facta fori, in quocumque loco commissa
 fuerint, per tres dies, ipso videlicet die Dominicâ solem-
 nitatis, & antecedente & subsequente die eiusdem ce-
 lebrationis. Quòd si acciderit forum esse de iure S. Cle-
 mentis, vel S. Mauricij, statutum & concessum est à
 nobis, ut decem solidos accipiant pro telonio suo Ca-
 nonici prædictarum Ecclesiarum à Fratribus & The-
 saurario S. Cornelij. Constituimus etiam concedente
 Thesaurario, & me confirmante, ut in tribus supradi-
 ctis diebus, totius oblationis, quidquid in Ecclesiâ aut
 extra Ecclesiam oblatum fuerit, mediam partem ha-
 beant Canonici, reliqua verò sit Thesaurarij. Hæc au-
 tem

tem

tem omnia qua superius diximus, eo tenore Ecclesia tradidimus, ut per singulos annos, infra Quadragesimales dies, pascant Fratres Ecclesia eleemosynarium unum in eleemosynâ Caroli, pro salute & remedio anima mea, & antecessorum, successorūq; nostrorum. Et ut inuiolabilis & indiuisa permaneat traditio nostra, Regiâ auctoritate indiximus, & excommunicari ab Episcopis nostris fecimus, ne aliquis ex nostris successoribus vel familiaribus præsumat prædicta Ecclesia subtrahere, quod ei firmiter & perpetualiter tradidimus. Quocircâ præceptum istud manu propriâ firmauimus ✠, & sicut decreuimus & stabiluimus, ita impressione nostri sigilli signari fecimus, & Regiâ auctoritate ratum & firmum perpetualiter esse præcipimus. Actum est hoc Compendij in Palatio Regio, anno ab incarnato Verbo Dei M. XCII. Indictione XV. Hubertus Cancellarius scripsit & subscripsit.

SIGNVM PHILIPPI GLORIOSI FRANCORVM REGIS.

Sanè siquidem negotio huiuscemodi assumpto, non abs re visum est, eodem contextu illud exequi, prout hac in re vires præberet Dominus. Igitur ieiuniis, excubiis peractis, & orationibus crebris ad eundem Dominum effusis, atque capsâ huiusmodi super altare Reuestiarij præfati prætensâ ac expositâ, & ex eâ per aurifabrum ingeniosum diligenti opere laminâ argenteâ inferius exinde actâ, quodam ligneo & admodum

paruo ostio reſerato, in eadem capsâ prius se obtulit
 paruum linteolum, parui Corporalis instar, plicis tribus
 complicatum: subsequenter fasciculum panno sericeo
 diuersorum colorum loris sericeis circumligatû, infra
 inuentum, inde extractum est: quo siquidem explica-
 to, aliud lineum pannum, in cuius extremitatibus tres
 erant lineæ diuersorum colorum uno artificio contextæ,
 unâ cum alio paruo panno sericeo albo, in quibus, in
 rotundo globo, longitudinis trium palmarum, & la-
 titudinis duarum, similibus modo & formâ quibus
 pijsimus ille Philippus Francorum Rex prenotatus
 introcludi decreuerat illud augustissimum sacratissi-
 mumq; maximè venerandum linteamen ex purissimo
 & tenuissimo lino contextum extitit repertum. Tunc
 prefatus Reuerendus Pater Ambianensis, Prasuli-
 bus, Abbatibus S. Medardi, nostræ Domine de Vrſi-
 cãpo, Confessore Regio, Priore clauſtrali, Thesaurario,
 ac Notariis subrogatis secum assistentibus, eidem oscu-
 la figens, longiusculam habuit supplicationem, genibus
 flexis Christum omnium Sanctorum Regem laudan-
 do, venerando, adorando, & ipsum in suis exuuiis
 inuocando. Nec mora, ad nos idem Ambianensis Pra-
 sul, illud sacratissimum passionis D. N. Iesu Christi
 pignus, ad sacratum & maius altare, maiorem in
 modum, venerandis Sanctorum Reliquiis, pretiosis la-
 pillis, nonnullisq; ornamentis adornatû, Sacrificium
 (quod

(quod peculiariter Missam nuncupamus) celebrantes, pro suâ humanitate attulit. Quod itaque ad manus modestissimè acceptum, officiosè, purè, sanctè & deuotè, non sine lacrymis venerari & adorari censentes, in finem Sacrificij super altare (Christum Dominum nostrum representans) cum reuerentiâ collocauimus. Proinde Sacrificio Missæ expleto, ac Cantico lætitiæ & exultationis, Veni creator Spiritus, (quatenus suâ charitatis ignem immitteret, roremq; caelestem infunderet) decantato, libet illud exuiuarum Christi pignus assistenti plebi, pronè, supinè, & Domino iugiter seruienti, ac intentè spectandum præferre, ad Dei beneficium agnoscendum & venerandum, qui suâ bonitate cunctis lucet & clarescit: unde publicus declamator ad huiuscemodi plebem, pro manifestandâ veritate, & eorum mentes à falsitatis errore astus maligni (qui ad decipiendas animas callidissimus est Sophistes) auertendo, verba fecit. Tandem nostro ex Officio nos unâ cum Præsulibus & Officiariis Regis prælibatis, illud venerandissimum Christi pignus in eius capsâ recondi decernentes, ex Fratrum Religiosorum præfati Cænobij, proborumq; virorum Compendiensium sedulâ ac importunâ instantiâ, solemnem Processionem (in quâ nobiscû Præsules, Fratres Cænobij, Prædicatores, Minores, Ecclesiasticiq; plebs Compendiensis conueniens) instituimus: nequit enim pa-

158 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
ternitas nostra silentio praterire, quòd ille populus
Compendiensis admodum deuotus in Concione publi-
câ tunc habitâ in atrio Cœnobij, ad illa visibilia passio-
nis D.N. Iesu Christi monumenta venerandissimâ
deuotione afficiebatur, quadringentis vigintiq; quatuor
annis latitata, spectanda oculis corporeis offerri, non
quòd fidem in hisce quæ offerebantur collocaret, sed
quòd ab Ecclesiâ recepta ac verè approbata arbitraba-
tur. Demum circa horam tertiam postmeridianam
nos suprafatus Episcopus Suesionensis ad instantiam
supradicti Domini Cōfessoris Regij, unâ nobis astanti-
bus dictis Dominis Patribus religiosi Priore & The-
saurario, Officiariis Regiis & Notariis, sacrum &
sanctissimum Linteam præmemoratū successiue modo
& formâ quibus inuolutum & inuentum fuerat, in
eius capsâ recondi fecimus, sigillisque Reuerendi in
Christo Patris prædicti Domini Ambianensis Præ-
sulis, Conuentusq; prædicti Cœnobij Compendiensis, ac
suprascripti Domini Locumtenentis Balliui Siluane-
tensis communiri huiusmodi capsam ad laminam
argenteam, de parte inferiori; eam reponi cum Reli-
quiis (donec ex consilio Serenissimi Regis Francisci
alioqui ordinatum extitisset) iussimus & mandauimus.
Ad laudem D.N. Iesu Christi, qui pro nobis
mortuus & sepultus est, verè descendit ad inferos, re-
gna tartarea iustè subacturus, perfracturus, spoliatu-
rus;

rus, qui verè tertiâ die resurrexit à mortuis, sedet nunc in dexteram Patris; cui cum aeterno Patre & Spiritu sancto communis honor, par gloria, equa potestas per infinita seculorum sacula. Amen. De & super quibus omnibus & singulis litteras per Notarios sub-signatos fieri mandauimus & iussimus, unâ cum appensione sigilli nostri. Acta fuerunt hæc hodie vicesimâ primâ Octobris, anno Domini millesimo quingentesimo decimo sexto.

Ego Antonius Raguët Presbyter, Artium liberalium Magister Suesionensis Diœcesis, publicus facultate Apostolicâ & Imperiali, Curiq; spiritualis Beluacensis Notarius iuratus, quia præfatis Congregationi, capsæ apertioni, sanctissimæ Sindonis D. N. Iesu Christi inuentioni, omnibusq; aliis & singulis, dum sic (ut præmittitur) per prædictum Dominum Episcopum Suesionensem, & coram eo agerentur & fierent, præsens fui: eaq; sic fieri vidi & audiui, ac in notam sumpsi, signoq; & nomine meis solitis & consuetis, unâ cum præfati Domini Episcopi Suesionensis sigilli appensione præsentis litteras signaui, in fidem, robur & testimonium præmissorum requisitus & rogatus. Sic signatum, M. Fabri, Reuerendi in Christo Patris & Domini D. Ambianensis Episcopi Secretarius: de Beauregard Secretarius præfati Reuerendi Domini Suesionensis Episcopi; & Araquet.

&

Et sigillatum tribus sigillis in cerâ rubeâ sub duplici caudâ pergameni impendentibus.

Sindonem Compendiensem, cuius tam vetus est in Galliâ Belgicâ religio, quamque Claudius Campegius in libello de Locis sanctis Gallie, scribit imagine Christi Domini minimè signatam esse; dixerim ego toti Christi corpori intra monumenti septa extrinsecùs circumuolutam, supra institas ac Sudarium Vefontinum; quemadmodum Taurinense linteum idem Christi corpus cruentum ac rigidum è cruce excepit.

CAPVT XXVII.

Alia othonia pro linteis Christi sepulchralibus habita: ectypa pleraque: sanctuaria: brandea: linteamina Martyrum, Et veterum Christianorum.

OΘONION Græcè significat quoduis λινὸν ὕφασμα, *quamuis è lino texturam*, è quâ parabantur *lineæ*, seu vestes è lino contextæ. Glossæ veteres habent, *linteramen*, ὀθόνιον; *linterarius*, ὀθονιακός, ἔ ὀθονιοπόλης: alibi, numero multitudinis, *lintea*, ὀθόνια; vt in funere Meletij Episcopi Antiocheni, Gregorius Nyssenus dixit *πληθυστικῶς*, *Sindones mundas*; & in mysterio Christi rediuiui, Ioannes τὰ ὀθόνια: quod arguit, plura sepulturae Domini-

cæ

cæ adhibita fuisse, vt suprà iam declaratum est.

Quamobrem non mirum, (inquit Gretserus) si plu-^{1. de}
ribus in locis plura inueniri dicantur, cum reuera plura^{Cruce}
fuerint.^{c. 85.}

Petrocorij in Monasterio Cadunio, Dice-
cesis Cadurcensis, linteum quoddam tenue pro
Christi Sudario seruant, per Monachos Ber-
nardinus ibidem collocatum, anno Domi-
ni M.CCC.XCIX. auctore Nicolao Gillio in Chro-
nicis. Serarius in rebus Moguntiacis ex MS. ve-
teri narrat, S. Bilhildem accepisse à Kunegunde
Principe feminâ *Sudarium quo Christi Domini*
caput & facies in sepulchro tecta fuissent; eiusque
partem alibi notat seruari Moguntiaë in alto Vir-
ginum Monasterio, & quotannis postridie Pa-
schatis, ex ambone quodam, facibus prælucenti-
bus explicari, & populo monstrari. In Theatro
Antiquitatum Parisiensium descriptum extat Di-
ploma Balduini Imperatoris, datum apud S. Ger-
manum in Laya, anno Domini M.CC.XLVII. quo
concedit inter alia Ludouico Francorum Regi
partem Sudarij, quo inuolutum fuit corpus Christi
in sepulchro. Petrus à Beek in Aquisgrano suo re-
fert, in Monasterio S. Cornelij, mille passibus
Grani aquis dissito, Ludouicū Pium Imp. posuif-
se *Sindonem mundā, quā Ioseph inuoluit corpus Do-*
mini, & partem Sudarij, quod fuerat super caput eius.

Fortè hæc ipsa est Sindon, quam deinde Carolus Caluus Ludouici filius Compendiensibus dedit. Sindonem Christi sibi quoque vendicant in Vrbe, Ecclesia S. Ioannis Lateranensis, & S. Mariæ Maioris, teste Attilio Serrano in libello de septem Urbis Ecclesiis. Pingonius, Mallonius, & Prosper Bonafamilia indicant, similia possidere in Lusitaniâ Turdetanos, & in Inferiore Germaniâ Traiectenses; quod tamen falsum esse certâ eruditorum relatione comperimus. In quadam Lipsanothecâ Ecclesiæ Carnotensis seruatür portio Sudarij Christi, ex Rolliardo de rebus Carnotensibus. Alias Sindonis particulas variis Sacrariis sparsas non commemoro.

Part. I.
cap. 8.

Loc. cit.

Horum verò Linteorum, quæ pro veris Christi Sindonibus vel Sudariis, variis locis haberi solent, alia sunt pura & candida, alia imagine Christi Domini iacentis insignita. De pictis plerisque, credo facilè, cum Gretsero, *huiusmodi sacra pignora, & Lipsana, ex imitatione aucta, & ex prototypo sæpius expressa, occasionem dedisse posteris, ut sibi persuaderent se verum exemplar possidere; cum non nisi imaginem ex primo Sudario vel Sindone effigiatam haberent: qui error omni culpâ caret, cum & in primis illis, & in his quæ ad imitationem illorum adumbrata sunt, vnus Deus, Redemptor noster honoretur.*

retur. Vlyssipone primariâ Lusitaniæ vrbe, extra
 muros, in Monasterio Virginum *Matris Dei de*
Enxobregas, ostenditur die Iouis Hebdomadę fan-
 ctæ, Sudarium cum imagine Christi Domini, sed
 ectypon. Mallonius disertè asserit, ex Camberia-
 co Linteo alia exemplaria excerpta esse, quæ in
 magnâ existimatione, vt par est, seruantur: & nos
 ex Vefontino idem factum suprâ ostendimus.
 Adde quòd olim pictum frequenter in Sindoni-
 bus Christum, adstruunt verba Leontij Episcopi
 Neapolitani in Cypro, quæ leguntur in Secunda
 Synodo Nicænâ. *Christum* (inquit) *Christiq; passio-*
nes, passim in Ecclesiis, in domibus & foro, in picturis,
in SINDONIBVS, in promptuariis, vestibus, omni-
bis denique in locis hanc figuram ponimus; quò conti-
nùò contemplantibus nobis hæc in mentem veniant,
& non obliuiscamur Domini Dei nostri.

Lib. 5. A-
 pol. cõtra
 Iudæos.

De puris & candidis Sudariis, aliæ rationes ad-
 ferri possunt. Inprimis, mortuos olim, quamuis
 pretiosis vestibus indutos, Linteis etiam obuolue-
 bant. Asterius vir Senatorius (apud Eusebium)
 cùm Marino Martyri præstò adesset, ipso mortis
 articulo, simul atque è vitâ migrarat, *cadauer*
tollit, splendidâ & pretiosâ obtegit veste, atque hume-
ris impositum inde deportat; quod cùm magnifico &
sumptuoso linteo obuoluisset, decenti sepulchro condidit.

Lib. 7.
 Hist. c. 14.

Sur. To. 1. An gradus Monachus in Vitâ Ansberti Rhotomagensis Episcopi, qui floruit anno Domini D.C. LXXXII. *Sanctum illud corpus magnâ fidei ambitione vestitum est, ac desuper linteis ceratis obvolutum.* Ita crediderim piè lineas aliquot *ἑβόλας*, interiori sepulchro Christi instratas, quò molliùs quiesceret corpus inuolutum: aliquot iterùm lineas *ἑβόλας* eidem pietatis ergò superinductas, ante sepulchri obturationem; cùm Petrus & Ioannes dicantur vidisse à resurrectione *τὰ ὀθόνια* numero plurali: imò etiam sub institis plura linteamina diuino corpori vel substrata vel superextensa fuisse nihil vetat, vt alibi dixi.

Baron.
ad Mart.
15. Iunij,
& an. 55.
n. 12.

Legimus quoque in sacris Historiis, cùm vetus Ecclesiæ Romanæ consuetudo non tantùm abhorreret, vt corpora Sanctorum Româ transferri pateretur; sed nec tenues Reliquias ex iis detrahi vel tangi quoquomodo permetteret; solitos Christianos sudarium, vel aliquod aliud velum desuper admouere, quod dicebatur *Sanctuarium*, siue *Brandeam*, quod ex illo contactu magnam operandi miracula facultatem consequi consueuerat. S. Germanus, & eius collegæ, Legati Apostolici, in Rescripto, quod dederunt ad Hormisdam Pontificem, sub Consulatu Rustici, anno Domini

ni

ni D. XX. cùm essent Constantinopoli; *Iustinianus* filius *vester magnificus* (inquiunt) res conuenientes fidei suæ faciens, *Basilicam Apostolorum*, in quâ desiderat SS. *Apostolorum Petri ac Pauli*, & *B. Laurentij Reliquias* esse, constituit: sperat per paruitatem nostram, ut *prædictorum Sanctorum Reliquias* celeriter concedatis. Habuit quidem *petitio prædicti viri secundum morem Græcorum*; & nos contra consuetudinem *Sedis Apostolicæ* exposuimus: accepit rationem. Et quia talis est eius feruor fidei, qui meretur quidquid de *Sede Apostolicâ* depoposcerit; & talis est qui sperat, unde & *salus animæ & fidei* accrescat; talibus desiderijs postulata competit non negare. Vnde si *Beatitudini vestræ* videtur, *Sanctuaria beatorum Apostolorum Petri & Pauli*, secundum morem ei largiri præcipite; & si fieri potest, ad *secundam cataractam ipsa Sanctuaria* deponere, *vestrum est deliberare*, &c. Extant in MS. Codice Vaticanæ Bibliothecæ, *Hormisdæ Papæ* ad eosdem Legatos de eadem re scriptæ litteræ; aliæ itidem ad *Iustinianum*, quibus significat Pontifex se tantum *Sanctuaria* mittere.

Iterum anno Domini D. XCIV. cùm in memoriam S. Pauli, *Constantina Augusta* Ecclesiam ædificasset in suo Palatio, putauit ipsa eam decorandam esse aliquibus *Apostoli Reliquiis*; cuius

rei causâ scripsit ad Gregorium V. Romanum Pontificem, vt Constantinopolim mitteret eiusdem Apostoli caput, vel partem aliquam corporis. Gregorius tam liberam Augustæ petitionem benè longâ epistolâ prudenter elusit, & inter alia hæc rescripsit: *Cognoscat tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, vt quidquam tangere præsumant de corpore; sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Martyrum ponitur; quod leuatum, in Ecclesiâ quæ est dicanda, debitâ cum veneratione reconditur; & tantæ per hoc ibidem virtutes sunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit, vt beata recordationis Leonis Papa temporibus (sicut à maioribus traditur) dum quidam Graeci de talibus Reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipsâ incisione sanguis effluerit. Ad finem denique, etiam ipsum S. Pauli sudarium recusauit, his verbis: *Sudarium verò quod similiter transmitti iussistis, cum corpore eius est; quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Per brandeum & sanctuarium velum intelligi debere cense-**

L. 3. ep. 30

L. 4. ep. 44
L. 12. De-
cret. 4.

set Baronius, quod alibi Gregorius appellat *velamen admoueri solitum sanctis Martyrum corpori-*

poribus ; quod Romani Pontifices ad clarissimas personas & Ecclesias , pro magno munere transmittere solebant. Vnde mirum non est , si lapsu temporum , quædam illorum pro *sanctuariis* dicta sunt , vt prius , *sudaria* ; & verò attributa ipsi Christo , mirandorum quæ per ea patrabantur Auctori. Ita de clavis Dominicis , qui plures hodie reperiuntur , Baronius : *Accidit fortasse alicubi* , inquit , *vt clauus aliquis inter sacras Reliquias asseruatus , quo mystica membra Christi , nempe Martyr quispiam confixus est , idem vnus ex ipsis Christi clavis fuerit existimatus. Quidquid sit , fides (ait Ambrosius) purgat facinus , cum nemo fidelium ferrum colat , sed Christi potius passionem veneretur & adoret in ferro.* De linteis sepulchralibus Martyrum idem dici nihil vetat , quos constat linteis inuolui solitos. Eusebius quidam in Ægypto Diaconus , non multò post Laodiceæ in Syriâ Episcopus (Eusebio Historico teste) vigente Valeriani Cæsaris persecutione , anno Christi cc. lx. summo studio linteamina , quibus corpora beatorum Martyrum vitæ defunctorum inuoluerentur , neglecto vitæ periculo confecit. Abibum Diaconum Martyrem , Edeffæ in Syriâ passum anno ccc. xvi. propinqui & amici pretioso linteo circumdederunt. Mulieris

An. 326.
n. 54.

L. 7. c. 10.

Baron.
n. 52.

Ep. 49. ris septies ictæ *cruentum cadaver* (apud Hieronymum) *Clerici, quibus id officij erat, linteo obuoluerunt.* Et consuetudinem illam tenebat Præses ille, qui Tharacum Martyrem sic aliquando est allocutus: *Nonne sic te perdam, ut antea prædixi, & Reliquias tuas, ne muliercula in linteamine corpus tuum, inuoluant, & unguentis & odoribus adornent? Neque Martyres tantum, sed & alios viros sanctos & Christianos, ministri, qui vocabantur Laborantes, cum linteis sepeliebant. Morem tetigit*

10. Cath. Prudentius:

*Candore nitentia claro
Pratendere linteæ mos est,
Adspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine seruat.*

In Cant. S. Gregorius affirmat suo tempore lota corpora, vncta, & linteis inuoluta. Discipuli S. Antonij inuolutum magistri corpus humo operuerunt.

Syr. To. 6 Corpus S. Huberti Leodiensis Episcopi *ablutum est lymphis, & circumdatum tristibus peplis.* Denique Dionysius Episcopus Alexandrinus, vbi narrat pia Christianorum officia erga defunctos, cum pestis in Ægypto grassaretur, sub Valeriano Imperatore: *Quin etiam, inquit, Sanctorum corpora manibus erectis, supinisq; excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris*

cada-

cadauera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lauare accuratè, & linteo funebri inuoluerè non grauati sunt. Idem mos etiamnum hodie viget per vniuersam Galliam & Germaniam, nisi quòd corpora ibi linteis toralibus obuoluta consuuntur, non verò institis obligantur. Fortè igitur alicubi Martyris cuiuspiam prisci æui, aut alterius viri sancti Sudarium, pro Christi Sudario colitur.

CAPVT XXVIII.

*De sepulchralibus Christi Domini fasciis
distinctiùs.*

FASCIA, *Λωία*, sumitur pro quouis vinculo plectili & lineo, *ἄπὸ τῆς Λωίης*, quod est *extendere*, quia in longum extenditur, latitudine angusta. Eâ stringebantur olim vel quædam corporis partes, vel corpus vniuersum. In capite dicta est Syriacè *ܡܝܬܪܐ* *mitra*, Græcè *διάδημα*, Latine *vitta*, de quâ intelligendus Dio Chrysostomus, Or. 66. de Gloria. ubi ait: *Si quis alius caput illasum fasciis obligaret, omnibus esset ludificatui; Regibus tamen id honestum putant, & multa hominum millia pro eo linteolo mortem oppetierunt.* Vittati quoque fuerunt Sacerdotes & Poëtæ; & capillos in capite mulieres colli-

Y ga-

^a De lin-
gua Lat.
^b 7. Ænei.
^c 1. de
Nuptiis.

gabant fasciolâ, quam ^a Varro *textam* vocat, ^b Virgilius *crinalem vittam*, ^c Martianus Capella *vinculum sociale crinium*. Fasciam pectoris Glossæ veteres vertunt *ἠθόδεσμον*, *pectorale vinculum*, quo cohibebant sinum puellæ; quas matres studebant esse

Terentius. *Demissis humeris, vincto pectore, ut graciles essent.*

Lib. 8.
cap. 57.

De auro
& arg.
leg.

In 7.
Theb.

Adhibitæ sunt etiam in calceatu fasciæ, Plinio auctore. Iureconsulti vocant *fascias crurales* & *pedules*, quas reponunt inter ornamenta muliebria; in quibus censenda quoque est *instita*, Lutatius Placidio, *fasciola quæ imam stolæ partem suo pingit ornatu.*

In Ortho-
graph.

Procem.
lib. 7.

Truncum corporis vniuersum, cum artibus supernis & infernis, strinxerunt in infantibus *ἡ ἀργύρα*, siue *ἀργυρώματα*, Auctori Etymologici, *ἡ πρώτη φασκία*, *prima fasciæ*; Bedæ *cunabula*, siue *panni infantis*. Ab hoc lucis rudimento, inquit Plinius, *hominem vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus*. Itaque feliciter natus iacet, *manibus pedibusq; deminctis, flens animal, ceteris imperaturum; & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est*. Infantem primis constrictum vinculis hîc exhibemus, ex marmoreâ pilâ veteri, Româ Antuerpianam

piam aduectâ, in ædes Petri Pauli Rubenij, rerum antiquarum seduli spectatoris.



Fascias infantiae Saluatoris, (sive *pannos, quibus innoluit eum Virgo Mater*, habuit Eudoxia Theodosij coniux à Iuuenale Ierosolymitano Episcopo; quas deinde ab Eudoxiâ acceptas, Pulcheria Augusta collocavit in templo τῶν ὁδογῶν, *via ducum*, cum imagine B. Virginis à S. Lucâ depictâ. Anniuersariam diem festam, Augusti tricesimam primam, à Christiano populo ipsis actam, testantur encomia Patrum, apud Lipomanum, eâ die in Ecclesiâ recitari solita. Hodie creduntur diuisæ variis locis. Habentur Romæ in templo S. Mariæ Maioris, Constantinopoli illuc allatæ: Duaci, in templo S. Amati: Auguste Vindelicorum, in æde

Lucæ c. 2.
Baron.
an. 439.


Niceph:
l. 14. c. 2.
Baron.
453. n. 22

Tom. 6.
31. Aug.

Nec propriis fasciis defuncti caruere : æquum
quippe erat, hominem redire ad sua initia, vt
quemadmodum lucem auspicatus fuerat, ita &
iaceret mortuus; non tantū in cunis, sed in sepul-
chro etiam vincula pateretur. Hesychius vocat
ἐπιθανάτια ἐντετυλυμνά, postremas illas institas,
quarum interuentu cadauera linteis commodiùs
obnuberētur. Ægyptios vinculis vsos in sepelien-
do, scripsit Herodotus, & obseruauit in Ægypto
Princeps Radziuilus. Nos quoque Venetiis cada-
uera condita vidimus, è vicinis Cairo sepulchre-
tis (è quibus mumia peti solet) allata, quæ simili-
bus tæniis circumligata erant. Romæ in quibus-
dam cœmeteriis obseruatae sunt hæ figuræ, rudi
manu adumbratae.

Lib. 2.

Epist. 3.



An

An Mercurij in vmbas mortuorum imperium
habentis, & qui

*Traditur extinctas sumptæ moderamine virgæ
In lucem reuocasse animas?*

Prud. 1.
contra
Symm.

Sanè, cùm imagines reliquæ in catacumbis illis
Christianæ sint, & resurrectionem sæpiùs repro-
mittant; vti Ionæ viui è ventre ceti prodeuntis,
Danielis inter leones intacti, trium Puerorum in
fornace Babylonicâ à morte seruatorum; credi-
derim ego has ad Lazari fuscitationem potiùs re-
ferendas, quam primi Christiani, in spem resur-
rectionis, sepulchris suis insculpi voluerint vel
appingi. Atque ita censuit Ioannes Macarius in
suis Hagioglyptis nondum editis. *Dum vides*
(inquit) ediculam instar templi cuiusdam, aut sacelli,
ad quam gradibus ascenditur, in cuius vestibulo velut
puerulus inuolutus fasciis erectus; quem virga quidam
adstans attingit: infans ille, Lazarus est; edicula, mo-
numentum; virga tangens, Christus, qui Lazarum
excitat à mortuis. In virgâ nihil hæreo, quæ pote-
statis miraculorum effectricis haud dubiè sym-
bolum est: non item in ratione inuolucris, quæ Ca-
pitibus septimo & octauo satis superque explica-
ta: sed ad illam puerilem staturam, dico, reddi-
tum suis initiis, & quasi renascentem Lazarum,
rectè hoc modo pingi potuisse; quem scribit Ioan-

Orat. in
Public. &
Phar.

nes Constantinopolitanus, *in monumento cunabulis inuolutum; & Basilius Seleucia Episcopus, tamquam è sepulchro natus, & cunarum fasciis impeditum.* sic enim ille: Εἰθεὶν ἀνεπίδηα νεκρὸς τετραήμερο, τὰ τῶ θανάτου περικείμερο σύμβολα· καὶ τὸν θαλάου ἀποδυσάμερο, πλὴν τὰ φερα σολιὼ ὄχι ἡλλάξατο, ἀλλ' ἐφίσατο ταῖς κειμαῖς, ὡς ἐν τὰ φερα τεχθεῖς, ἔ μὲ τόκου φέρων τὰ παρῶνα: *Inde exiiebat mortuus, quatrduanus, mortis circumferens symbola; & cum expoliasset se morte, sepulchri stolam non mutauerat, sed adstabat cum fasciis mortuariis, tamquam è sepulchro natus, & post partum ferens infantia fascias.*

Cap. 19.

Sacrosanctum Christi corpus exanime, sudario velatum, & aliis linteaminibus inuolutum, fasciis eiusmodi obuinctum fuisse, indicat verbum ἐδησαν, *ligauerunt*, in Ioannis Euangelio, quod futuram planè excludit à Iudaico ritu, iuxta quem Lazarus ligatus fuerat manus & pedes κειμαῖς, hoc est, (vt Lexicum vertit) *fasciis sepulchralibus*, quæ ex telâ confectæ erant, linteo inciso, non per transuersum, sed in longitudinem, sicut in textum est, sectione ad stamen directâ, vt vult Galenus.

Lib. de
Fasciis.

Iuuenius Poëta de Lazaro:

*Nec mora, connexis manibus pedibusq̄, repente
Procedit tumulo, vultum cui linea textit,
Et totum gracilis connectit fascia corpus.*

Basi-

Bafiliius Oratione de eodem: Παρῆν ὁ Λάζαρος τρώ-
 παυον αὐτοχέδιον κτ' τῶ θανάτῳ φερόμενος. παρῆν μηδὲ
 τῶν ὀνηταφίων κρείων καταλείψας τὸν ἄδην. δεδεμηρῶς
 ἐξῆλθεν· ἔγδ' πόδες ἔφερον, ἀλλὰ χάρις ἐπέβρωσε: *Aderat*
Lazarus, velut extemporaneum trophaeum, aduer-
sus mortem se proferens. aderat, ne infernum qui-
dem relinquens heredem fasciarum sepulchralium. li-
gatus prodiit: non enim pedes ferebant, sed gratia de-
derat alas. Nonnus de Christo Domino:

Λεπταλέαις ὀθήοισιν ἐμιτρώσαντο θανάτῳ
 Σῶμα, πολυπλέκτῳ ἐλίκων εὐώδει δεσμῶ,
 Ὡς ἔθ' Ἐβραίοις ἐπιτύμβια δεσμὰ φυλάσσειν:
Tenuibus linteis circumdederunt mortui corpus,
Multiplici circumuolutionum fragrante vinculo,
Ut mos est Iudæis sepulchrales ritus seruare.

Augustinus memorat *institas, quibus totum corpus* Lib. 3.
Conf. E-
uang. c. 7.
Christi alligatum est. Et Pulcheria Augusta fascias
 illas Christi Domini, quas resurgens reliquit in
 monumento, sedulo à fidelibus conseruatas col-
 locauit vnà cum tumulo Domini in templo Sa-
 pientiae à se exstructo. *Pulcheria opus est* (inquit Lib. 1 4.
cap. 2.
 Nicephorus) *sacrum Dei Genitricis templum, quod*
Blacherna dicitur, dignum illà ipsà Verbi Matre,
quod inhabitaret iudicatum domicilium, sicuti fi-
lio eius, quod Sapientia vocatur, cuius diuinum tu-
mulum, & sepulchrales fascias inuentas, cum ve-
 nera-

176 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
*neratione maximâ ibi reposuit. Audio partem illa-
rum adhuc seruari in Aquitanicæ Galliaë ciuita-
te Albiensi.*

CAPVT XXIX.

*E quo lino texta sint sepulchralia lintea Christi
Domini, & quo textur a modo.*

Lib. 19.
cap. 1.

Lib. 5.
cap. 113.

LINVM, quasi λείον, *lene & equabile*, significa-
tione latâ sumitur pro omni eo quod aptum
est ad textrinam, siue id submini strent herbæ, fru-
tices, arbores, siue etiã lapides. Plinius Asbestino
lino principatum tribuit in orbe toto, quòd igni-
bus non absumeretur, vnde *uimum* vocabant:
mappæ ex eo ardentes visæ in focis conuiuiorum,
sordibus exustis, splendescentes igni magis, quàm
possent aquis: rarum fuit inuentu, & difficile tex-
tu, propter breuitatem; è quo tamen olim Re-
gum funebres tunicæ, fauillam corporis separa-
bant ab reliquo cinere. Hoc ego linum non ex
plantâ confectum puto, sed ex Amiantho lapide
Cyprio, qui malleis contusus, excussâ terreâ su-
perfluitate, capillamentis suis lini speciem retinet,
atque in telam textitur: hinc vela, quæ ignibus in-
iecta ardent quidem, sed inuicta flammis splen-
didiora exeunt, auctore Dioscoride. Hoc vsum
Athe-

Athenis putant Callimachum in aureâ, quam fecit, lucernâ, quæ diutissimè ardebat, oleo non nisi post exactum annum dissipato, vt scribit Pausanias: idque in Carystiâ rupe gigni tradit Plutarchus, molli & lapideo filo, è quo mantilia, retia, & reticula, capitum integumenta conficerentur.

In Atticis.

De Orac. def.

Proximus deinde honos tribuitur lino byssino, mulierum maximè deliciis, circa Elim in Achaiâ genito. Philostratus in Apollonio, byssum nasci ait, in arbore, pede populo simili, foliis autem salici: & memorat Themistius *γράμματα δεχῆαι βύσσω λεικῆ ἐνελιμυρία*, *litteras per antiquas byssocandidâ inuolutas*, Sufis & Ecbatanis Antiochiam missas.

Lino xylino sua non deest gloria: nascitur in superiore parte Ægypti vergente in Arabiam, è frutice quem aliqui *gossypium* vocant, plures *xylon*: paruus est, similemque barbatae nucis defert fructum, è cuius interiore bombyce lanugo netur, è quâ lintea fiunt nullis candore mollitiâve posthabenda.

Est & *amorgis* lini species, Suidæ *λινοκαλάμη*, vnde *amorgina*, tenuissima lina antiquis memorata: vt omittam lina è palustri arundine, cannabi, genistâ, & cucurbitis in arboribus genitis parari solita.

Z

Li-

Linum vulgare propriè dictum Ægyptus copiosè ferit, vt Arabiae Indiaeque merces importet. Galliae item vniuersae ex eo vela texunt: in Germaniâ & apud nos defossi, atque sub terrâ id opus agunt; & in Italiâ similiter, quamuis ratione aliâ. Hispania citerior habet splendorem lini præcipuum, torrentis in quo politur naturâ, qui alluit Tarraconem. Ab hoc vulgari lino, Ægyptij Sacerdotes *Linigeri* sunt denominati, de quibus sic

Lib. 2. vel
in Euter-
pe.

Herodotus: *Εἴματα δὲ λίνεα φορέει αἰὲν νεόπλυτα, Ἰπτινδέουοντες τὸ μάλισα. Linea ferunt vestimenta, semper recens abluta, huic rei maximè vacantes. Et alibi: Ἐνδεδύκασιν ἡ κηθῶνας λινέας, αἰὲν τὰ σκέλεα δυσανωτὰς, ἕως καλέουσι Καλασίρας. Ἰπτι τῆσι δὲ εἰλίνεα εἴματα λευκὰ ἐπαναβληδὸν φορέουσι. ἔμπροσθεν ἕς γε τὰ ἰσθμὰ ἐσφρέλαι εἰλίνεα, ἕδὲ συγκαταβάπτεται Ἐφι. ἔνδ' ὄσιον. Vestibus amicumtur lineis, circa crura fimbriatis, quas Calasiras appellant; super quas candida ferunt amacula lanea, tamquam superiecta. Lanae neque in ades sacras gestantur, neque unquam cum cadauere sepeliuntur; profanum enim est. Pluribus de lineo texto*

Apul. 1. Apuleius: *Purissimum est rebus diuinis velamentum, quippe lana, segnissimi corporis excrementum pecori detracta, iam inde Orphei & Pythagoræ scitis, profanus vestitus est: sed enim mundissima lini seges, inter optimas fruges terrâ exorta, non modo indu-*
tus

tui & amictui sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris usurpatur.

Linum vulgare terrenum hîc intelligit Madaurensis, cuius optimam fegetem reponit inter fruges, quod alteri lino non conuenit: & Plutarchus

ipsum ex floris colore notat, vbi dicit, *Isiacos*

De Ifide
& Ofiride.

Sacerdotes φορεῖν τὰ λινὰ διὰ τὴν χεῖραν ἡ δὲ λινὸν αὐθὺν αὐήσοι, τῆ ἀειεχέσῃ τὸν κόσμον αὐθερίῳ χαροπότητι ἀεσοικύαν, *ferre vestimenta linea, propter colorem quem linum florens emittit, caruleo colori, mundum athereum circumdanti similem.* Alteram rationem statim subiungit, quod nempe lino terra significetur, quia ex eâ oriatur, *eiusq̄ ūber exhauriat,*

inquit Palladius. Quæcumque autem è terrâ nascuntur, ea munda & pura existimarunt, vt apud

Lib. 11.
cap. 1.

Philostratum docet Apollonius. D. Hieronymus

primum Sacerdotis vestimentū, quod est lineum, *terram* interpretatur: & idcirco Patres volunt è lino terreno fuisse sepulchralia Christi inuolucra.

In c. 8. Ex
& ad Fabiolam,
de veste
Sacerd.

Remigius: *Sindon, lineus pannus est: linum autem ex terrâ procreatur, & cum magno labore ad candorem perducitur; designatur quod corpus illius, quod ex terrâ, id est ex Virgine sumptum est, per laborem passionis venit ad candorem immortalitatis.* Beda in Marcum: *In Ecclesiâ mos inualuit, vt sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino*

180 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
*terreno celebretur, sicut est corpus Domini in Sindone
mundâ sepultum; iuxta quod in gestis Pontificalibus
à B. Papâ Siluestro legimus esse statutum.* Non de-
sunt qui institutionem illam Eusebio Papæ anti-
quiori acceptam referant.

Sindonem Taurinensem è lino viuo confe-
ctam non esse, tunc apparuit, quando nonnihil
ab igne passa est iniuriæ anno M.D.XXXII. vt suprâ
enarraui. Paleotus è lino crasso textam dicit: Bo-
terus gossypinam facit; Papius Massonus è xy-
linâ materiâ: totus pannus commissuram futu-
râ mve nullam habet, quàm latè excurrit: textu-
ram facit Pingonius, *nulli telarum comparabilem.*
Audio vix posse satis vel dignosci, vel describi.

De Sudario Vefontino, multoties mihi ado-
rato & viso, spondere possum, id è lino terreno
textum, pretioso, leni, & nihilominùs firmo ac
denso, eoque non texturæ simplicis, sed inscripto,
seu catagrapho. Quod vt omnes capiant, moneo,
è puro lino neto, aliàs, vt nunc, laboratas per lin-
teones triplicis operis telas, *albas scilicet, candidas,
& inscriptas. Fusco opponitur album, & nigro candi-
dum,* inquit Cornelius Fronto: nam album pal-
let, & natiuum est; candidum splendescit, & est
ab arte. Album colorem Plato vult esse lætitiæ
proprium & Deorum. Canephora Virgines Na-
soni

Lib. 3.
Am.

soni dicuntur, *velata vestibus albis*: & *poderis*, linea Sacerdotum tunica, *Alba* dicta est, quia telâ albâ simplici texta. Gemma animæ: *Alba, in lege*, Cap. 202.
tunica linea, vel talaris dicitur.

Candidis linteis ob tenuitatem pertinax in-
 hæsit gratia: ea sæpè dicta inuenias *Carbasa*, à car-
 basis, splendidis ac tenuibus linis in Hispaniâ
 Tarraconensi primùm repertis, è quibus vestes
 magni pretij texebantur. Curtius: *Carbaso Indi*
corpora usque ad pedes velant; eorumq; Rex aureâ le-
eticâ, margaritis circumpendentibus recubat, distin-
ctis auro & purpurâ carbasis, quæ indutus est. Ve-
stem, quam Apuleius carbasinam dixit, Petronius
extulit, ventum textilem in nebulâ lineâ: Pacatus in
Panegyrico Theodosij, tenerum amictum, & leue
carbasum: Panegyricus Constantini, pallios leues,
& sericos sinus, vitando sole; carbasiina & bombyci-
na linteæ. A candore porrò splendor oritur & lu-
men. Gyton prudens (apud Petronium) cum luce
etiam clarâ, timeret noctis errorem, omnes pilas co-
lumnasq; notauerat cretâ, quæ lineamenta euicerunt
spississimam noctem, & notabili candore ostenderunt
errantibus viam. Hinc dixit Polybius λαμπρὰν πε-
titorum togam; Seneca pellucidam vestem; Ter-
tullianus textum pellucidum: & Apuleius adducit
turbas sacris diuinis initiatas, viros feminasq; omnis
1. de Ben.
cap. 3.
De Pal-
lio.
Metam. 2.

Z 3;

digni-

dignitatis, & omnis ætatis, lintea vestis candore puro
 Natal. 6. *luminosos.* Paulinus denique inter donaria sacra-
 rum ædium recenset vela,

— *ceu puro splendida lino,*

Siue coloratis textim variata figuris.

Inscripta lintea, alba sunt, lumine candoris illu-
 strata, & adumbrata textilibus picturis, de quibus
 Iuuenalis:

— *Damasippus ad illos*

Thermarum calyces, inscriptaq; lintea vadit.

Vbi vetus Interpres Calderinus: *Inscripta lintea,*
id est sudaria thermarum; nam erant ita appellata à
variâ texturâ, quâ inscripta videbantur. Catullus:

Sudariumq; setabum, catagraphumq; linum.

hoc est, *inscriptum linteum.* Fiunt porrò illæ texti-
 les picturæ subteminis beneficio, quod stamina
 celerrimè & ex arte percurrens, flores, fructus,
 animalia, & alias quasvis formas in telâ depin-
 git.

Ouid. 6.
 Metam.

Tela iugo iuncta est, stamen secernit arundo,

Inseritur medium radiis subtemen acutis,

Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductû,

Percussi feriunt inserti pectine dentes.

Ita stamini subtemen connectitur, & densatur
 textura, telaque mutuis filorum nexibus absolui-
 tur. Lux autem & fulgor, ad figuras elatiore filo

pictas

pictas accersitur læuigatione, quæ fit instrumen-
 to comprimente simul & poliente; quo fucatas
 opinor vestes, Ammiano dictas *pressoriis luce ni-*
tentes. Martialis libro duodecimo, memorat *lintea* Epigr. 84.
niue candidiora: & Sidonius Apollinaris ad men- Lib. 9.
 sam instruendam, imperat, vt *niue pulchriora lina* Epist. 13.
gerat Orbis; explico, lineas mappas, non simplici-
 ter instar niuis candidas, sed arte textili pictas at-
 que inscriptas; cuiusmodi puto fuisse illa *ἐντέμ-*
ματα λαμπρὰ σιδονύφῃ, *mantilia splendida in mo-*
dum Sindonis texta, quæ (auctore Philoxeno apud Lib. 9.
 Athenæum) manibus tergendis pueri ministran- Dipn.
 tes præbebant. Lampridius in Elagabalo, vocat *pi-*
cta mantilia, quæ in mensam mittebat Imperator,
 his eduliis picta, quæ apponerentur. Catagrapha
 illa lintea maximè parabantur mensis ornandis:
 cur non etiam & mortuis sepeliendis? Planè quia
 erant vnguibus delibuti, opus erat firmis densif-
 que linteis, quibus inuoluerentur, ne inquinaren-
 tur manus *τῶν νεκροθάπτων*. Sudarium Vefontinum
 Christi Seruatoris catagraphicè laboratum est,
 non, vt vulgus huc vsque censuit, ad instar operis
 lintearij, quod *paruum Venetum* vocant; sed alte-
 rius, antiquioris longè & elegantioris.

CA-

CAPVT XXX.

*De imagine Christi, sepulchralibus linteis Vesontino
& Taurinensi impressâ : ac primùm de staturâ
& symmetriâ corporis; tum de situ eiusdem &
collocatione.*

DIVINI erga nos amoris hoc fuit $\mu\eta\mu\acute{o}\sigma\upsilon\nu\upsilon\nu$,
suam nobis in sacris Linteis imaginem relin-
quere; quo declarare, opinor, voluit Christus Do-
minus ac Redemptor noster, quàm optaret sua-
rum virtutum in animis nostris cernere expres-
sam effigiem, secundùm illud votum, *Pone me ut
signaculum super cor tuum, ut signaculum super bra-
chium tuum*: ut meritò dixerit Gregorius Nyffe-
nus, suæ quemque vitæ pictorem esse, artificem
huius operis esse voluntatem; colores, virtutes;
exemplar Christum esse debere; ut à quo nomen,
ab ipso formam ac rationem Christiani habere-
mus.

Sindonis Taurinensis descriptionem referam
partim ex Paleoto & Mallonio, qui accurati fa-
tis; partim ex archiuo Clarissarum Camberien-
sium intra mœnia, quæ sacram imaginem diu ac
per otium contemplatæ, cùm apud ipsas (ut alibi
monui) restituenda ex incendio Sindon habere-
tur,

Cant. 8.

i. de
Perf.
Christ.
formâ.

tur, eius lineamenta omnia simplici pioque stylo minutissimè persecutæ sunt. In Vefontinâ autem vt essem accuratissimus, effecit, quâ frequens illius aspectus, bis in anno, cùm publicè explicari solet; quâ spectatissimorum insignis Capituli Metropolitanæ Canonicorum singularis humanitas, de quorum decreto, adorandum Sudarium, tertîâ Iunij huius anni M.DC.XXIII. septimâ die quàm populo exhibitum fuerat, à senis ex eorum cœtu linteatis, in id muneris delectis, multâ circùm ardente face depositum est, ac mihi vni, arbitro dumtaxat pictore, in minore Basilicæ S. Stephani Sacratio propositum, tres ipsas horas, vt quasi libet sacre iconis mensuras caperem, eiusque depingi curarem expressissimam, quoad fieri posset, imaginem, pedali longitudine.

Instituo igitur breuem, sed accuratam comparisonem Vefontinæ imaginis ἀχθροπρωτῆς cum Taurinensi. Duo tamen moneo in primis: alterum, quæcumque dextra sunt in sacris linteis, sinistra fuisse in Christi corpore; & vicissim, hîc dextra, quæ illic sinistra, planè vt in speculis. Ex quo non difficulter agnoscas, quâ parte Sudarium Vefontinum, alioquin anceps, & vtrîmque ferè ex æquo tinctum, corpori Christi adhæserit, nempe ex eâ quæ vulnus lateris (dextri vtique, vt certa

A a fert

186 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
fert traditio) ad sinistram exhibet: in quâ quidem
facie, etsi minùs rubescunt vulnera (quod mirê-
re) quàm in oppositâ; distinctiora sunt tamen
corporis totius lineamenta: satisque apparet ex
sacri panni texturâ, geminaque facie, eam par-
tem, quæ vulnus lateris ad sinistram habet, quip-
pe concinnior ac spectabiliorem, ad sacrum
corpus fuisse applicitam. Sed quomodo, inquires,
in auersâ Sudarij parte luculentiora vulnera? aut
quâ id fieri vel potuit vel decuit? Decuit fanè, vt
vulnerum locus ac ratio in eâ parte, non vt in spe-
culo, dextris in sinistra mutatis, sed ordine recto,
tamquam in imagine appareret. Id verò etiam
facile fieri potuit, vt manans è vulneribus cruor,
traiecto Sudario, in auersâ eius parte cumularetur,
consideretque, vnde magis saturum ruborem of-
fenderet. Alterum, cuius te memorem volo, iam
suprà non semel significavi, nempe, Taurinensem
Sindonem notatam fuisse ante pollincturam; Su-
darium verò Vefontinum in sepulchro: itaque
refert illa Christi corpus cruentum, & recens à
cruce refixum; hoc verò, idem ipsum iam lotum
ac perunctum, & in cryptâ compositum. Hinc
nullo negotio discernes, quæ similia in vtraque
imagine, quæ dissimilia. Vefontinum Sudarium
longum est pedes octo, quattuor ferè latum: Sin-
don

don autem Taurinensis, ex Paleoto, longitudi- Cap. 2.
 nem habet pedum circiter duodecim, latitudi-
 nem trium; alij dicunt esse latam pedes mini-
 mum quatuor, longam ferè tredecim: illud ad-
 uersum tantum corpus exhibet, hæc etiam auer-
 sum: tam in hac, quàm in illo, specto primùm
 staturam & symmetriam corporis Christi; post-
 eà situm eiusdem & collocationem; ab hac vul-
 nera quinque præcipua; alias deinde minutiores
 cicatrices, & cruorem toto corpore sparsum: hinc
 velum ad coxas; tum colorem, sacræ denique pi-
 cturæ rationem ac modum, fueritne is naturalis,
 an supra naturam. Singula strictim persequor.

Staturam corporis Christi, à vertice ad cal-
 cem vsque, in Sudario Vefontino, reperi sex pe-
 dum Geometricorum, tribus digitis minùs; seu,
 quod eòdem recidit, quinque pedum, & trium
 quartarum vnus pedis, (duodenum enim digi-
 torum, vt solet, pedem Mathematicum facio.)
 Hoc obseruato, mensuras easdem applicui longi-
 tudini imaginis Taurinensis, quam domi habe-
 bam; & parem omnino deprehendi, magno meo
 solatio: quippe ferebatur à quibusdam malè mo-
 nitis, longiorem esse Christi effigiem in Sudario
 Vefontino, quàm in Allobrogicâ Sindone: cui,
 opinor, errori occasionem dederat, quòd statura

Christi, à vertice ad calcem & imos talos in Sindone Taurinensi accepta, longitudini Vefontinæ imaginis à vertice ad extremos vsque pedum digitos comparata fuerat; perperam vtique, sic enim longa est sex pedes, & quinque digitos. Vera porro longitudo vtriusque imaginis, quæ à vertice incipiens ad calcem definit, vtrobique est omnino eadem, nempe, vt dixi, senûm pedum, tribus digitis minùs: quò recidit mensura Alphonfi Paleoti, qui corporis figurã in Sindone Taurinensi impressam, in anteriore parte ad quinque pedum, in posteriore ad quatuor pedum & vnciarum decem mensuram porrigi dicit: nam, vt benè notat ibidem Mallonius, vtitur Paleotus pede Bononiensi, duodecim constante vnciis, qui Mathematicum pedem duabus vnciis, hoc est sextã sui parte excedit. Nec abesse dicet ab his mensuris Nicephorum, cùm staturam corporis Christi septem palmorum fuisse dicit, qui ad maximam pro variis locis ac temporibus mensurarum varietatem attendet.

Præter staturam, apparet in sacris linteis tota Christi externa species, & conformatio corporis, si vnum colorem excipias. Latitudo humerorum, vnius pedis, duorum digitorum sesqui: cæsaries prolixior, non admodum densa, leniter ad crispas decli-

declinans, & iuxta morem Nazaræorum in vertice discriminata: barba mediocriter promissa, & in medio bifurcata: frons plana & serena: nasus leni & modico tractu diffusus: recta brachia & crura: omnia demum quæ speciosum formâ præ filiis hominum deceant; nec aliena ab iis, quæ de Christi specie scripta reliquit Nicephorus, ac Lentulus Romanus in Iudæâ Præses, apud Eutropium in Annalibus.

Situs in vtraque imagine est iacentis, vixque vllius momenti discrimen inuenio, nisi in manuum decussatione: nam etsi vtroque, sinistra iconis manus, quæ dextræ Christi respondet, alteri superposita est; tamen in Vefontino linteo carpus carpo infistit; in Taurinensi metacarpus metacarpo. Itaque in Vefontino conspicua sunt vtriusque manus vulnera; in Taurinensi, manus altera vulnus alterius tegit. Addiderim insuper, quoad partium collocationem, dissipatiores videri pedum articulos in Vefontinâ effigie: nimirum pedes antea rigidos, lotiones ac largè affusa vnguenta laxauerant. Crura item paulò distractiora à se inuicem apparent in Taurinensi imagine, quàm in Vefontinâ.

CAPVT XXXI.

De vulneribus quinque præcipuis, cicatricibus minutis, & cruore, toto corpore sparso.

IAM in vulneribus quinque præcipuis, spectandus locus, magnitudo, figura. Vulnera manuum sunt in metacarpis ferè mediis; carpo tamen aliquantulum propiora, à rotunditate haud multum absunt. Negligo quorundam scrupulum, qui dubitant, fixine olim cruciarij in metacarpis, an in carpis potiùs, aut etiam in brachiis inter cubitum & radium, vt firmiùs starent. Plautum adducunt, qui in Mostellariâ, *Offigantur, inquit, bis pedes, bis brachia.* Sed reclamant omnia, priscae imagines, vulnera S. Francisci, quæ in metacarpis: Scriptura ipsa. *Nisi videro, inquit Thomas, in manibus eius fixuram clauorum.* Et Christus bis ostendit discipulis, manus & pedes, & latus: vt meritò de Christo ad litteram capiatur illud Zachariæ, *Quid sunt, plaga ista in medio manuum tuarum?* Neque verò ita parum cohærent metacarpi ossa in viuo & sano corpore, quin totum corpus sustinere possint. Adde, quod censent plerique, haud leuibus ducti argumentis, suppedaneum asserem, atque etiam funes ad subleuandum corpus, cruciariis adhiberi

ri

ri solitos. Plauti locus non vrget; nam legunt multi, *obfringantur*, non vt alij, *offigantur*, vel *affigantur*. Sed etsi de confixione hæc accipias, dicam *μετωρμικῶς* locutum Comicum: si enim tribus dumtaxat quatuorve partibus homo perfossus, configi totus dicitur; multò magis figi brachia dicentur, si figantur secundùm extremitates.

De pedum vulneribus maior est quæstio; an ex sacris Linteis lucis aliquid affulgeat ad celebrem illam difficultatem, fueritne Christi pes vterque vnico clauo fixus, an duobus. De quâ quæstione copiosè & eruditè Paleotus cum Mallonio; & Lorinus in Psalmum vigesimum primum, tam probabilibus vtrimque argumentis, vt neutram in partem certò quidquam statui posse videatur. Prudenter autem monet Paleotus, non posse nos ex Sindone Taurinensi (addo nec ex Sudario Vefontino) manifestè colligere, tribusne an quatuor clauis Seruator cruci affixus fuerit. Censet tamen ibidem Mallonius cognosci ex Sindone, vtrumque Christi pedem vnico clauo transfixum fuisse, & sinistrum quidem dextro fuisse impositum. *Figitur*, inquit, *plaga qua in pectusculo sinistri pedis conspicitur, latior ac patentior est, quàm qua in dextro pede conspicitur; vt ex hoc coniecturâ probabilior addatur ei sententia, quam in B. Brigittæ Reuelationibus legi-*

Cap. 19.

Versu. 17.

Cap. 19.
num. 1 r.

legimus, quòd pes sinister supra dextrum clauo sit affixus. Vtraque tamen plaga, tam dextri quàm sinistri pedis, circularis est, ut clauos non quadratè, sed rotundè pyramidatos agnoscamus. Illud porrò silentio obuoluendum non est, quòd vulnus dextri pedis magis à tibià versus digitos pedis protenditur, quàm vulnus sinistri pedis. Nam vulnus super pectusculum dextri pedis, ab extremis digitis versus tibiàm distat tribus vnciis cum dimidià: vulnus autem sinistri pedis, ab extremis digitis versus tibiàm vnciis quinque distat. Cùm tamen supra pedis pectusculum, vulnera eum situm ac figuram, quam indicaui, possideant; tamen in plantà pedis, figuram aliquantò minorem indicant, sed situm longè diuersum: vulnus enim dextri pedis, quod super pectusculum ab extremis digitis, vnciis tribus cum dimidià distat; in plantà tamen ab iisdem extremis digitis, duabus tantùm vnciis cum dimidià distat: vulnus autem sinistri pedis, quod supra col- lum, ab extremitate digitorum eiusdem pedis, vnciis quinque distat: in plantà tamen quatuor non integris vnciis distat. Ex quibus denique colligit, quòd ut milites Christi corpus magis in cruce extenderent, clauos in crucem non ad angulos rectos infigebant; sed cuspede paulo inferiùs vergente, ut clauus quò magis lignum terebraret, etiam Christi corpus magis extenderet. Hæc ille: ex quibus certè nemo euidenter

con-

concludat, duos pedes vnico clauo perfosfos: nam & vulnera ferè sunt æqualis magnitudinis, nisi quòd vulnus dextrum (quod pedi Christi sinistro respondet) tantisper latius est, & saturatius altero. Si quid aliud notabis discriminis inter vtriusque sacri Linteï stigmata; cogita lotiones & ynguenta, vulnerum magnitudinem, figuram, imò & situm ipsum facile immutare aliquatenus potuisse.

Vulneris ad latus inflictï cicatrix, sinistra est in vtraque imagine, vt nimirum dextro Christi lateri respondeat. Latissima est in Vefontino Sudario, operitque fermè tres costas veras, quintam, sextam, septimam, ostenditque illatum vulnus inter quintam & sextam ex veris costis, prope sternum, in dextro Christi latere: rotunda ferè est supernè, infernè in ellipsim protenditur: in Sindone Taurinensi dicitur lata tres digitos. Ex quibus duos errores refellas; alterum paucorum, qui sinistro lateri vulnus inflictum putant, contra communem sensum SS. Patrum ac Doctorum, & contra vsum Ecclesiæ in Imaginibus: quibus fauent Reuelationes S. Brigittæ, imago Christi Crucifixi in corde B. Claræ inuenta, vulnus etiam quod ad dextrum latus gestauit S. Franciscus, vt refert S. Bonauentura in eius Vitâ; aliaque testi-

B b monia,

194 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
monia, quæ præter Interpretes Euangelicos, re-
fert Daniel Mallonius in caput vicesimum Pa-
leoti. Alterū Alexandri Halensis (ex quo S. Vin-
centius Ferrerius Sermone in Parasceue) Gabrie-
lis, & aliorum apud Mallonium citato loco; qui
dicunt, punctum quidem Christum in dextrâ
parte, sed infra costas in hypochondrio; ita tamen,
vt lanceæ mucro ad cor vsque penetrarit. *Si enim,*
inquiunt, impacta fuisset lancea costis Christi Do-
mini, aliquod ex eius ossibus fuisset comminutum, con-
tra prophetiam, & typum agni Paschalis. Sed hæc
ratio inanis est: numquid enim inter costas patê-
re potuit lanceæ cuspidi locus, vt clavis inter ossa
pedum & manuum? Diuinæ autem prouidentia
fuit, temerè impactum ferrum ita dirigere, vt co-
stas ipsas non rumperet, sed medias præterlabe-
retur.

Extra præcipuorum quinque Vulnerum cicat-
trices, nullæ apparent soluti continui notæ in Su-
dario Vefontino, præterquam in fronte, vbi di-
stinguere est spinarum vestigia aliquot satis con-
fusa. Taurinensis autem Sindon, quippe quæ sa-
cro sanctum Christi corpus cruentum ante pol-
lincturam excepit, & manantem è vulneribus
sanguinem, atque ad cutem concretum repræ-
sentat; & minutissimas quasque verberum vibi-
ces,

ces, quæ deinde vnguentis oblitteratæ oppletæ-
 que sunt, distinctissimè refert. Frontem igitur ex-
 hibet cruore conspersam è spineâ coronâ manan-
 te: liuidum vultum, genas tumidas, nempe ex
 colaphis, præcipuè dextram, quæ sinistrae Chri-
 sti respondet: cæsariem barbamque aut carptim
 vellicatam, aut concreto sanguine deformatam;
 cervicem spinis confixam & conuulneratam:
 largum cruorem è manuum, pedumque, ac late-
 ris vulneribus emissum: humeros quâ flagris, quâ
 crucis gestatione conscissos afflictosque: collum
 foedè intumescens ex funibus, catenisque, quibus
 vinctus ac raptatus: crura, brachia, lumbos, pe-
 ctus, totum corpus, vel diris ictibus contusum, vel
 flagellorum vibicibus confertim decussatis disse-
 ctum, vel sanguineis guttis vi verberum excussis
 foedè maculatum; vt meritò de Christo patiente
 exclamarit Euangelicus Vates: *A plantâ pedis vs-* Isaias c. 1.
que ad verticem, non est in eo sanitas.

CAPVT XXXII.

*De velo circa coxas: tum de sacrarum Imaginum
 colore, ratione & modo.*

VELI ad coxas, & partes pudendas, nulla nota
 in Sudario Vefontino; nec relictum par est

Bb 2

cre-

Tom. 10.
Tract. 36.

credere illud ipsum, quod è cruce pendentem ob-
 texerat; quippe quod pollincturam prohibuisset.
 In Sindone verò Taurinensi, agnosco veli huius
 vestigia cum Salmerone, qui affirmat in eâ Sin-
 done (quæ tum cùm scriberet, Nicæ asseruaba-
 tur) tam partem anteriorem quàm posteriorem
 ostendere huius veli signa apertissima. Et hunc
 esse communem sensum, indicant Taurinensis
 Sindonis imagines, quotquot vidi (vidi autem
 quamplurimas, & diuersis formis excusas) quæ
 omnes velum pudendis præensum referunt. At-
 que hoc distinctiùs affirmo, quòd video Paleo-
 tum & Mallonium, nullâ factâ pepli huius men-
 tione, eius loco agnouisse in Christi lumbis hor-
 ribilem plagam, siue ex catenis, quibus constri-
 ctus, siue ex verberum in eadem parte crebrò re-
 petitis ictibus. Verùm illam ipsam quam pro-
 ponunt imaginem, litterâ C, diligenter inspicien-
 ti, satis apparet lintei cuiuspiam circa Christi
 lumbos religati plicaturas in eâ potiùs, quàm vul-
 nus aliquod repræsentari: neque ater & sangui-
 neus color facit pro vulnere; non enim potuit ve-
 lum illud non esse conspersum manante cruore è
 capitis, manuum, lateris, humerorum, ac totius
 thoracis, præcipuè verò lumborum crudis adhuc
 & recentissimis vulneribus. Non ergo Sindon, vt

volunt, latum vulnus ad lumbos exhibet, sed velum cruentum lumbis circumligatum. Et verò quis credat, priùs detractum iis partibus velum, quàm corpus Christi à cruce ad pollincturæ locum deportaretur? Minimè autem assentior Gretsero, Iansenio, Suari, aliisque apud Lorinum existimantibus pependisse Christum è cruce planè nudum, & absque tegumento vlllo ad partes quas tegi iubet natura. Nam primò, alius videtur Ecclesiæ sensus, quæ omnes crucifixi Domini imagines obuelatis coxis proponit. Deinde contrarium asserentem legimus Deiparam Virginem in Reuelationibus S. Brigittæ,^a duobus locis: pudori scilicet filij sui consultū, illo velamine verendis obducto: quod ipsum confirmant^b S. Anselmus,^c S. Bernardus,^d Vincentius Brunus,^e Salmoner,^f Mallonius in Paleotum, aliique benè multi. Displicet tamen^g Abulensis, cùm asserit Christum crucifixum, imò etiam sepultum fuisse cum femoralibus. *Nemo namque, inquit, tam durus foret, ut immemor humanæ verecundiæ, hæc auderet detrabere, nec id Christus pateretur.* Sed hæc inania, & absque auctore. Illud verò notandum pro nostrâ sententiâ; quòd plerique Patres à Gretsero & Lorino laudati, cùm Christum nudum in crucem actum affirmant, non proinde

Bb 3 negant,


^a Lib. 1.
c. 10. &
l. 4. c. 7.
^b Dial. de
Pass.
^c Serm. de
Pass.
^d Medit.
38.
^e To. 10.
Tra&. 35.
^f Cap. 6.
n. 10.
^g Par. 5.
c. 42.

198 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
negant, peplum illi circa pudenda obligatum;
nudus enim (à maiori scilicet parte) rectè dici po-
tuit, si illis dumtaxat obuelatis partibus, cetera
absque tegumento fuit.

In sacrarum Imaginum coloribus, materiam
specto & formam: in Taurinensi, vnicam mate-
riam agnosco; Christi cruorem, ac saniem pretio-
sam: in Vefontinâ, præter sanguinem, etiam vn-
guenta. Forma autem coloris hæc est: Vefontina
icon extra quinque vulnera, quorum luculentus
est rubor, tota ex flauo pallefcit: Philippo II. Hi-
spaniarum Regi cùm depicta est in linteo, nullus
eam color sic ementiri potuit, vt tinctura caryo-
phyllorum & cinnamomi, per aquam vitæ extra-
cta. Taurinensis Imago, ferè vbique purpùreo
atroque constat, nec aliud pænè quidquam nisi
vulnus habet: quamuis etiam lineamenta totius
corporis distinctè satis adumbrat, ita vt corporis
totius externæ speciei ex flauo diluto atque albe-
scente delineatæ, stigmata vulnerum omnium
appicta videantur.

Supereft picturæ modus ac ratio, quam affir-
mo non modò non manu factam, sed etiam su-
pra naturæ vires: primùm, quia inquinari tantùm
debuerant lintea sacro Christi corpore, vel cruen-
to, vel peruncto; at non tam distinctè depingi.


De-





S. Suidon Taurinensis

Sudon Taurinensis refert corpus Christi
cruentum, et recens de Cruce depositum ;
Sudarium vero Bisontinum exhibet illud
idem iam lotum ac perunctum, et in
sepulchro compositum .



S. Sudarium Bisontinum

diffle
rue
de
ancie
sepul
s mib
onsti
oni
p
15

Deinde quia Sudarium sub institis toti corpori circumuolutum credimus; cùm tamen anterioris tantùm faciei lineamenta hauserit. Denique non apparet latior vultus in sacris Linteis, quàm qui homini in planâ tabulâ ex arte depicto conuenit; esset autem multò latior, si ex naturali dumtaxat genarum attactu colorem contraxisset: quod experiere, si laruanr aut mappam vultui admoueas, deinde id quo totus vultus tegebatur, in planum extendas; tunc enim multò latiùs excurret, & ultra naturalis symmetriæ leges. Voluit nimirum Christus in sacris Linteis non suę tantùm mortis, sed etiam externæ corporis conformationis extare monumentum. Sudarium Vefontinum, quod tibi sermone hæctenus depinxi, en tibi in ectypo, ad prototypum quam fieri potuit accuratissimè expresso, vnà cum Sindone Taurinensi, oculis subiicio.

*Inserenda hïc Imago S. Sudarij Vefontini
& S. Sindonis Taurinensis.*

CA-

CAPVT XXXIII.

*De Sudario Edesseno.*Lib. 4.
c. 17.

PRAETER imagines sepulchrales Christi Domini, alia fuerunt in Orbe Christiano ἀρχαῖοι, quas ipse viuens antequam pateretur, & in passione ipsa diuinitus impressit in linteis. Φέρει τὸ καὶ περὶ ἰσορίας, inquit Ioannes Damascenus, ὡς ὁ Κύριος, Ἀυγάρης τῆς Ἐδεσσηνῶν πόλεως βασιλεύοντι, ζωγράφον ἀποσείλαντι τὸ τῆς Κυρίου ὁμοιογραφήσαι εἰκόνα, μὴ διωθῆντι τῆς ζωγράφου διὰ τὸ ἀποσείλῃσαι τῆς ζωγράφου λαμπρότητα, αὐτὸς ἰμάτιον τῶ ὁμοίῳ ζωγράφῳ τῶ θεῷ ἔ ζωποιῶ Ἰησοῦς, ἐναπεμάξατο τῶ ἰματίῳ τὸ ἑαυτῆ ἀπφάνισμα, καὶ ἔτις ἀπέσφλε τῆ ποδῶν τῶ Ἀυγάρη. *Historia proditum est, cum Abagarus Edessæ Rex eo nomine pictorem misisset, ut Domini imaginem exprimeret; neque id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset, Dominum ipsum diuinæ suæ ac viuificæ faciei pallium admouisse, imaginemq; suam ei impressisse; sicq; illud ad Abagarum, ut ipsius cupiditati satisfaceret, misisse.* Eadem ferè è ciuitatis Edessæ tabulariis & archiuis habet Nicephorus: *Eo quo in Christum desiderio tenebatur percussus (Abgarus Rex Edessenorum) pictorem eximium ad eum misit, eique*

Lib. 2. c. 7.

ut

ut diligenter & accuratè faciem eius in picturâ effin-
 geret, imaginemq; pro desiderato illo sibi afferret, im-
 peravit. Et ille quidem venit, atque in loco sublimiore
 stans, pingere Christi vultum, ut decebat, conabatur.
 Cum verò ceptum opus non succederet (diuinus quip-
 pe splendor & gratia in eius vultu coruscans impedi-
 mento erat) re eâ cognitâ, Saluator textum lineum
 petit, in eoq; prius loto faciem suam exprimit, & ad
 Abgarum mittit. Eandem Imaginem postea Leo
 Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lector, cum de-
 scendisset in Syriam cum Regiis Apocrifariis,
 Edessa adorari & honorari à populo vidit, ut ipsemet
 testatur in secundâ^a Synodo Nicænâ.^b Nicepho-^a A&S.
 rus alibi, & Euagrius antiquior narrant, quomo-^b Lib. 17.
 do vrbs Edessa à Chosroë Perfarū Rege oppugna-^c c. 26.
 ta, seruata fuerit per illam τὴν θεοτεκτον εἰκόνα ἣν
 αὐτῶν χεῖρες οὐκ εἰργάσαντο, diuinitus fabricatam
 Imaginem, quam hominum manus non effinxerant;
 quamque vocabant Edesseni sua ciuitatis Custo-
 dem & Conseruatricem; ex Oratione Constantini
 Porphyrogeniti. Eam tandem translata fuisse
 Edessâ Constantinopolim, ostendit Baronius an-
 no Christi D. cccc. xliv. Constantini cum Ro-^{Anno}
 mano Lacapeno Imperij consorte xxxiii. Cau-^{944. n. 5.}
 sam & modum prisca Scriptores habent. Zona-^{Tom. 3.}
 ras in Romano Lacapeno: Τέτρα τῶν σκήπτρων καὶ
 Cc του-

τοῦτ' ὅ, καὶ τὸ ἀχρεῖστον ἐκτύωμα τῆ Σωτῆρ
 Χρῆστὸν θεῖον χρεῖμα κτερον ἐκομίσθη πρὸς τὴν πρεσβυ-
 τηρίαν τῶν πόλεων. εἶχε μὲν γὰρ τὴν ἑδέσα· ἢ δὲ
 ἀλώματι πρὸς τῶν Ῥωμαίων πολιορκηθῆναι αὐτὴν ἐκινδύ-
 νευεν, κατεχομίσθη πρὸς Ἀγαρηνῶν. ἵν' ἐν φύγοιεν οἱ ἑδέσε-
 νοὶ τὴν ἐκπόρθησιν, λύτρεν ταύτης τὸ θεῖον παρέχον ἐκ-
 τύωμα. Eodem (Romano) rerum potente, Christi
 effigies nullis facta manibus, et diuinitus in linteo ex-
 pressa, in Imperatoriam urbem est translata. Eam-
 tum Edessa habuerat; quæ cum in periculo excidij esset,
 Agareni qui tum urbem tenebant, incolumitatem hac
 effigie à Romanis redemerunt. Paulò aliter Curopala-
 tes: Cùm Romanorum copiis Edessa obsideretur,
 Edessenis malis obsidionis grauius oppressi, Legatos ad
 Imperatorem miserunt, petentes ut exercitus ab obsi-
 dione recederet; seq̃ polliciti sunt pretium daturos
 sanctam Christi effigiem: solutà igitur obsidione, tra-
 dita est Imago, et ad Regiam urbem producta, eam-
 excipiente Imperatore, cum splendido atque decenti
 satellitio, per Regij cubiculi Præfectum Theophanem.
 Rem totam, vti gesta est, oratione longâ prose-
 quitur Constantinus ipse Porphyrogenitus fi-
 lius, vbi scribit, Romanum Lacapenum (qui hu-
 ius translationis ergò Edessam miserat Abramium
 Samosatæ Episcopum) sedulò aduertisse, ne in
 traditione Imaginis deciperetur, neve antigra-
 pro

pro autographâ concederetur: extabat enim quædam alia, quæ descripta fuerat propter Persicum bellum; & altera similis, quæ celebrabatur in Ecclesiâ Nestorianorum: ambas penes se aliquanto tempore habere voluit Imperator, quas deinde archetypâ sibi traditâ restituit. Inde multis recenset Constantinus, quænam in itinere miracula virtute sacre Imaginis contigerint. *Cæci (inquit) ex improviso aspiciebant, & claudi reddebantur sani membris integris; saltabant qui longo tempore in lecto decubuerant, & sani fiebant quibus erat manus arida, & fugabatur omnis morbus & infirmitas.* Tum subiungit, Constantinopoli repositam in Phari templo, & ibi conseruatam *ad gloriam fidelium, custodiam Imperatorum, tutelam totius ciuitatis, & status Christianorum.* Celebrata est solemnis illa depositio decimâ sextâ Augusti, quâ die hæc habentur in Græcorum Menologio: *Commemoratio Imaginis non manu factæ Domini Dei & Saluatoris nostri IESV Christi ex vrbe Edeßâ egressæ, & in hanc à Deo seruatam & Regiam urbem deportatæ.* Circa hæc eadem tempora de hac Imagine hoc mirum contigit: *Photium Patrium Constantinus Porphyrogenitus Imp. miserat cum literis ad S. Paulum in monte Latro anachoretam. Ille cum ad virum sanctum peruenisset, datisque*

ac receptis iam litteris ad reditum accingeretur, unum ab eo Sanctus petiit, ut non manufacta Christi imagini, quam Mantile sanctum appellare mos est, lineum aequale velu applicaret, idq; sibi mittere non grauaretur. Factum est quod postulabat, missumq; velum ex animi sententiâ, quod cum expandisset, Christi effigiem in eo ad amussim expressam, & figuram figuræ exactissimè respondentem vidit; aliis autem nihil tale apparebat.

An. 944.

Hæc è sancti Pauli Vitâ recitat Baronius; quibus subdit, postea bellis ingruentibus, ipsaque ciuitate Constantinopolitanâ sæpè captâ, & ab hostibus direptâ, Dei prouidentiâ factū esse, vt eadem veneranda Imago Romam perlata fuerit, vbi hactenus colitur in titulo S. Siluestri. Alij Genuæ Liguriæ vrbe seruari volunt, in templo diui Bartholomæi. Haud dubiè primigenia est vno in loco; altera miraculo expressa in alio.

CAPVT XXXIV.

De Sudario Veronica.

PROPERABAT cum cruce Christus ad crucem, cum inter Ierosolymitanas mulieres, qua plangebant & lamentabantur eum, religiosa quædam femina, nomine Veronica, stans proforibus domus suæ, (quæ fuit angularis, teste Adri-
cho-

Luc. 23.

chomio) lineum capitis sui peplum Christo por-
 rexit, quo faciem suam sudore & cruore diffluen-
 tem detergeret. ille verò imaginem sui vultus lin-
 teo perfectè impressit, ac Veronicæ in amoris sui
 pignus atque monumentum reddidit. Sunt qui
 credant velum illud capitis Veronicæ oblongius,
 triplicatum fuisse; & imaginem diuinitùs im-
 pressam, triplicem suscepisse; quarum vna serue-
 tur Romæ, altera Gienensi ciuitate Hispaniæ,
 tertia Ierosolymis. De eius quæ Romæ est transla-
 tione, libellum MS. seruari in Vaticanâ Biblio-
 thecâ testatur Baronius: & Ioannes Molanus eam
 sub Tiberio factam addit, eiusque historiam anti-
 quissimis conscriptam characteribus Thomam
 Stapletonum Romæ perlegisse totam. Bzouius
 ex veteri traditione narrat, ipsammet mulierem
 Veronicam velum illud insigne sacro Redem-
 ptoris vultu, detulisse Romam, eoque sanasse Ti-
 berium Augustum difficili morbo laborantem:
 idem deinde linteum venisse in manus S. Cle-
 mentis Papæ; postmodum à Constantino Impe-
 ratore collocatum in Basilicâ S. Petri. Ioan-
 nes VII. Papa (qui sedit anno Domini DCC. v.) ser-
 uando illi velo construxit tessellati operis *ἱεροτύπου*,
 quod dictum est, *Domus sanctæ Dei Genitricis, &*
Sancta Maria in Veronicâ. Innocentius III. in

In Th.
n. 44.Salmeron
Tom. 10.
Tr. 33.An 34.
n. 138.Lib. 4.
Imag. c. 2.An. 1216.
n. 16. 17.

Sermone Dominicæ primæ post Epiphaniam, meminit Processionis Sudarij Veronicæ, à S. Petri basilicâ, vsque ad ædem Xenodochij S. Spiritus in Saxiâ, anno Domini M. CC. cuius verbis vsi sunt postea Honorius III. & Alexander IV. Pontifices successores. Bonifacius VIII. anno Domini M. CC. XCVIII. Sudarium Veronicæ à prædicto templo S. Spiritus (vbi prius ostendi solitum erat) ad basilicam Principis Apostolorum transtulit, suisque manibus ex eminentiore loco ostendit, præsentibus Iacobo Aragonum & Carolo Sicilia Regibus: atque vt eò loci tum seruaretur in posterum, tum à Summo Pontifice statis diebus ostenderetur, constituit. Denique Paulus V. idem Sudarium in nouam S. Petri basilicam transferri fecit die vigesimâ primâ Martij, anni Domini M. DC. VI. ex instrumento Iacobi Grimaldi basilicæ Vaticanæ gazophylacij Propræfecti, apud Bzouium.

Loc. cit.

Imagines ad archetypum Romanum depictæ coluntur publicè multis locis. Celebres sunt in Galliâ duæ: vna quæ populo exhibetur Cadurci, in Vasconiâ: altera in Diœcesi Laudunensi, magno peregrinantiû concursu colitur, in Cœnobio Virginum Instituti Cisterciensis, quod Monasteriolum vocant, vulgò *Monstreuil les Dames*. Eam anno

anno M.CC.XLIX. Româ misit Iacobus Pantaleo, gente Gallus, patriâ Tricassinus (qui factus postea Urbanus Quartus Papa) rogatus per sororem suam, Monasterioli, vt aiunt, Monialem. Placet Epistolam ipsius è Gallico Latinè redditam hîc subiicere.

Venerabilibus & deuotis Sororibus, dilectis in Domino, Abbatissa & Religiosis Conuentus Monasterioli, Iacobus de Trevis, Archidiaconus Laudunensis, Sancti Patris nostri Papæ Cappellanus, salutem, ac postmodum integram perfectamque fruitionem, & claram visionem boni diu expetiti. Per relationem charissimæ sororis nostræ intelleximus, quòd ex ardenti affectu desideratis videre, & apud vos habere faciem & figuram nostri Saluatoris, quam in nostrâ habemus custodiâ, cum quâ visus est in terris, & versatus cum hominibus speciosus præ filijs hominum: quòdque ex eius contemplatione, deuoti affectus vestri magis accenderentur, & intellectus vestri puriores redderentur. Nos igitur qui lubentissimè volumus procurare ea omnia per qua possitis acquirere gratiam Dei in hoc mundo, & aternam gloriam in futuro; cupientes, quantum in nobis erit, satisfacere sanctis desideriis supradietæ sororis nostræ dilectæ, mittimus vobis sanctam Faciem superius memoratam. Neque attendite, quòd inuenietis eam decolorem & flaccidam. Nam

ut

ut ij, qui semper resident sub aëre temperatè frigido, & quiescunt continuo in locis amœnis, habent carnem albam & delicatam; & è contrà, qui versantur perpetuò in agris, habent perustam, nigricantem & alteratam: ita fuit hac beata Facies sole & ardore tribulationum decolorata, ut habetur in Canticis, cum Dominus noster laboraret in agro huius mundi, pro redemptione nostrâ. Idcirco vos rogamus enixè, ut propter reuerentiam illius quem repræsental, recipiatis eam, ut sanctam Veronicam, seu veram ipsius imaginem & similitudinem: tractetis eam piè, leniter & condecorè, ut ex eius contemplatione melius habeatis. Memores nostri estote in vestris sanctis precibus & meditationibus; & certò credite, quod cum maximo honore & veneratione hîc videtur; nobis ea quippe per sanctos viros concessa. Actum anno gratiæ M.CC. XLIX. tertiâ Julij, die Lunæ post Festum sanctorum Petri & Pauli.

Theodoricus de Brabantia Dunensis Abbas in Comitatu Flandriæ, Ecclesiæ suæ cōsecrationem curaturus per Radulphum Morinensem & Ioannem Tornacensem Episcopos, anno Domini M.CC.LXII. sacram illam Imaginem eò detulit è Monasteriolo, quo mage solemnis foret noue Basilicę dedicatio: & verè ibi virtute illius, multis infirmis sanitas restituta est; cæcis visus, surdis auditus,

tus, mutis loquela, & claudis gressus. Eadem ad Fanam S. Quintini delata, anno M.CCCC.XCV. laborantibus ex oculis maximè opitulata est. *Ex monumentis Monasterioli, & Ecclesiæ Dunensis.*

CAPVT XXXV.

De aliis Imaginibus Christi Domini non manufactis.

NON dubito alias Imagines è primigeniâ Romanâ per admotionem miraculo in velis expressas, vti ex Edessenâ factum suprâ ostendimus; maximè cùm doceat antiquissimus Auctor Simocatta, quamdam Christi effigiem, sine pictoris aut hominis arte factam, Mauritij Imperatoris æuo fuisse Constantinopoli, seu potius in Romanorum castris, cuius haberent archetypum Romani. Εἰς τὸ πολέμιον παρεφαίνετο, καὶ ἦν κόμισ πολλή, Φιλιππικὸς δὲ Θεανδρικὸν ἐπέφερετο εἰκασμα. Ὁ λόγος ἔκαθεν καὶ εἰς τὰ νῦν διηγεῖ θείαν ἐπισήμην μορφασα, ἔχ ὑφάντε χαῖρας * τετήνασαι, ἢ ζωγράφου μηλιά-
* ἢ τετυγ-
ταδαι.
δα ποικίλαι. διὰ ταιτῶτο ἔα χειροποίητος ὡσαύτῃ Ρωμαίοις καδυμνεῖται. καὶ τὰν ἱεροθέων πρεσβειῶν ἠξίωται. δεχέτηπον γὰρ ἐκεῖνο ἱεροσκεύεσι Ρωμαίοι ἢ ἀρρήτων. Ταυτὸ δὲ στρατηγὸς τὰν Σεβασμίων ἀειπέπων γυμνώσας, τὰς τάξεις ὑπέστρεχε, κρείττονος ἔα ἰταγωνίσεθρα ἄλλοις ἐν τῷ θεν μετὰ διδὸς τῶ στρατῷ ματι. *Vbi hostes appropinquare, puluerea nubes indicio fuit, Philippicus, (Dux exerci-*
Dd tus,

210 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
 tus, Mauritij Imperatoris sororius) *Dei hominis-*
que Iesu Christi effigiem circumfert. Jam olim fama
emanauit, & usque hodie durat, eam effigiem non
textentis manu comparatam, aut pictoris arte colori-
busq; variatam, sed diuinitus efformatam esse. quo-
circà etiam apud Romanos, ut ἀχειροποίητος, id est,
non hominis manu confecta celebratur, & sacris di-
uinisq; honoribus colitur: habent enim archetypum
Romani, & ut sacrosanctum quid venerantur. Hanc
effigiem sacrâ veste (velo nempe) nudatam gestans
exercitum obibat, indeq; audendi generosam & inex-
 Lib. 2. c. 3. *pugnabilem militibus alacritatem iniiciebat. Hæc Si-*
 mocatta; qui mox infrâ narrat, cui sub pugnae
 tempus interim seruandam crediderit Philippi-
 cus. Eamdem postea diuinam iconem Priscus,
 qui Philippico successit, ad componendam exer-
 citus seditionem adhibuit, ac tandem Heraclius
 in Persidem contra Cosdroem profectus, in acie
 circumtulit. Theophanes in Heraclio: Λαβὼν ὁ
 ὁ Βασιλεὺς ἐν χερσὶ τῷ Θεωφρικῷ μορφῆν, ἣν χεῖρες οὐκ
 ἔγραψαν, ἀλλ' οἷον ἐν εἰκόνι ὁ πάντα μορφῶν ἔ διαπλατ-
 των Λόγῳ, αἰδο γραφῆς μὲν μορφῶν ὡς αἰδο ἀποραῖς κίνησιν
 ἤνεγκον. Καὶ τὸ πεποιδῶς τῶ θεογράφῳ τύπῳ, ἀπὴρξασθε
 τῶν ἀγώνων, πρὸ δὲ τῶ λαῶ, ὡς σὺν αὐτοῖς μέγχι θανά-
 τος ἀγωνίστην, ἔ ὡς τέκνοις οἰκείοις τῶ τοῖς συναρμώσηται.
 Acceptâ Imperator in manus effigie, quæ Christum
 Deum

Deum & hominem referebat, nullis efficta manibus, sed quam illud quod omnia format & effingit Verbum, velut in imagine, sine picturâ figuram, tamquam sine saturo & semine partum edidit. Fretus hac diuinitus effigiatâ formâ, certamen aggressus, fidem militibus populoq; suam astrinxit, se viuuum mortuumq; cum illis veluti suis germanisq; liberis deuinctum, in bello & acie perseueraturum. De hac Persicâ expeditione idem cum Theophane narrat Cedrenus, nempe Imaginem Christi ab Heraclio in acie manu gestatam: & prætereà addit, eamdem ab ipso contra Phocam profecto, ex Africâ Constantinopolim cum classe deportatâ; cùm ait: Ο ἱ Ἡρακλῆος πλοῖα πολλὰ ἔξ Αφρικῆς ἐξοπλίσας, ἔσρατὸν καὶ Κωνσταντινῶν πολιν κατέλαβεν, Ἐπιφερόμεν καὶ τὴν ἀχειροποίητον εἰκόνα τῆς Κυρίας καὶ Θεῶν ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: Interim Heraclius cum magnâ & armatâ classe Constantinopolim appellit, secum ferens etiam Seruatoris nostri imaginem, nullo manus ministerio factam.

Ex his habes, Mauritio & Heraclio imperantibus, imaginem ἀχειροποίητον seruatam fuisse Constantinopoli, & inde per exercitus Duces in castra non semel deportatam. Verùm æuo Tiberij Secundi, qui Mauritio genero Imperium tradidit, in eadem vrbe iam religiosissimè custoditâ constat ex Græcorum Menologio, vndecimâ Augu-

fti, vbi hæc leguntur: Διήγρησις αὐτῆς ἀχρηγοποιήτης
εικόνης, ἧς Κυρίου ἑοῦ Θεοῦ ἑωρῆσθαι ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Narratio de non manu factâ imagine Domini & Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Et verò coniiicere aufim, iam tunc in acie prælatam (anno Christi D.LXXXI.) cùm Tiberius Regem Persarum Chosdroëm, post obitum Iustini, Romanum Imperium inuadentem, per strenuissimos Duces Iustinianum Iustini nepotem & Mauritium variis præliis fudit; ipsamque Persidem penitens deuastauit. Nummi Tiberij & Iustiniani nomine cusi id videntur innuere, in quibus auersis effigies Christi vsurpata primùm conspicitur, à diuinâ illâ Imagine forsitan mutuata: aureum vnum sic describit Nummographus:

D. N. IVSTINIANVS ET TIBERIVS PP. A. *duæ facies.*

D. N. IHS. CHRIST. REX REGNANTIVM. *imago Christi cum cruce.* alterum Iustiniani solius, etiam ex auro, vidi aliàs hac formâ:



Admiranda porro primis illis sæculis patrata
Constantinopoli, virtute sacræ Imaginis, narran-
tur in Græcorum Menæis, quæ non abs re visum
est hîc adnectere: Εἰς ταῖς ἡμέρας Τιβερίας Ἰε βασιλέως,
θαῦμα μέγα ἔπαυδοξον γέγονε. Γυνὴ γάρ τις τένομα
Μαρία, συγκλητικὴ Φιλόχειρος, τὴν ἀξίαν Παλαικία,
χήρα οὖσα, περιέπεσε πάθῃ γαλεπῷ ἔαιάτω· ἔδρα-
καμουσα δὲ πᾶσης ἀνθρώπινης βοηθείας, ἀπέθετο ἑαυτὴν
τῷ Θεῷ ἔκ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ. Εἴνοιαν τοίνυν ἀγα-
θὴν ὑποθεμένη ἑαυτῇ, ἀποπέμψεν πρὸς τοὺς λειτουργοὺς
τῆς ἁγίας δεσποτικῆς καὶ ἀχειροποιήτης εἰκόντος, ἀφικέσθαι
πρὸς ἑαυτὴν ἀξιόσως. Τῶν δὲ παυρονομήτων, προσέπεσε
τοῖς ποσὶν αὐτῶν, λέγουσα Δέομαι ὑμῶν κύριοί μου, ἐπεὶ ὁ
Θεὸς διὰ τὰς ἁμαρτίας μου συνεχώρησέν με ματίζεσθαι ὑ-
πὸ χαλεπῆς νόσου καὶ ὀλεθρίας, βέλομαι ἡ ταλαίπωρος ἔ-
αιάξια, δι' εὐχῶν τῶν ἁγίων ὑμῶν, δέξασθαι τὸν δεσποτι-
κὸν καὶ ἅγιον χαρακτῆρα εἰς τὸν πανδυτελῆ μου οἶκον Ἰπὶ
ἡμέρας τεσσαράκοντα, καὶ ἴσως δι' αὐτῆς ποιήσῃ ἔλεος
μετ' ἐμῆ. Οἱ δὲ τὴνδε τὴν διαγωγὴν ἔτι πνδυματικὴν
αὐτῆς κατὰσαιν Ἰπὶ ἀνδρῶν, ἠγάγον τὸν ἅγιον χαρα-
κτῆρα. Καὶ τῆς ἁγίας αἰοιχθείσης θήκης, προσεκυύησαν ἡ-
γυῆ καὶ ἠσάσασθαι· ἔλαβον βαβίκινον μίτρον ἰσόμε-
τρον τῆς ἁγίας εἰκόντος, τέθεικον ἐπάνω αὐτῆς· εἶτα βα-
λῶσα αὐτὴν εἰς καθαρὸν σκεῦιον, ἠσφάλισατο δι' αὐτῆς·
καὶ λατρεύουσα ἐν τῷ εὐκταίῳ αὐτῆς, ἐφωταγῶσαι λαμ-
πρῶς Ἰπὶ ἡμέρας τεσσαράκοντα, λειτουργῶσα. Πληρω-

θεισάν ἡ τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν, ἤρξαντο αἱ ὀδυῖαι τῆς
 γυναικὸς γινέσθαι σφοδραὶ ἔσφορηται, ὥστε μὴ δύνασθαι
 αὐτῷ μηδὲ τῆς κλίνης ἀναστῆναι. Προκαλεσαμένη ἡ
 μίαν τῶν παιδικῶν ἣν οἶδε καθαρῶς εἶσεν, φησὶ πρὸς αὐ-
 τήν· Δέξαι τὴν εἰκόνα τῆς ἀγίας εἰκόνου, ὅπως προσημῶ-
 σω, ἔγωγε μικρὸν ἀπάουσι τῆς συνεχέου με σφοδρῶς
 ὀδυῖαι. Ἡ ἡ προσημῶσα εἰς τὸ εὐκτῆριον, εἶδε θαῦμα μέγα
 καὶ φοβερὸν καὶ ἄδοξον· φλόξ ἰσχυρὴ πρὸς εἰς πλησμονῶν
 γεννηθεῖσα ἐκ τῆς ἀγίας εἰκόνου, ἀέχετο μέχρι τῆς
 σέου, ἔκαθη τὸ ὅλον θυσιαστήριον, κατήχετο μέ-
 χρι δαπέδου, μηδὲν τὸ σῦλον τὸ θυσιαστήριον ἐλάττωσα.
 Καὶ ἐκπλαῖσα ἡ παῖς ἔπεσε χαμαί· δραμῶσα ἡ ἑτέρα,
 ἀπήγειλε τὴν κυρία αὐτῆς. Ἡ ἡ κατάφοβος γενομένη, κα-
 ῖθη τοῦ κλινίδου, καὶ βία πρὸς τὸ δικτῆριον ἀπελθοῦσα,
 καὶ τὴν φλόγα ἰδοῦσα, τὸ Κύριον ἐλέηθη ἀεικόησεν· εἶτα
 μετεκαλέσατο τοὺς λειτουργοὺς μετὰ πρῶτον. Σιωπηλοῦση-
 σαν ἡ αὐτοῖς ἔσφορηται πολὺς, καὶ πάντες ἰδόντες τὸ ἄδο-
 ξον, κατεπλάγησαν. Ἀνερχομένης ἡ τῆς φλογὸς καὶ κα-
 ερχομένης ὡς πρὸς ὀνόματι πλοῖα ὑπὸ ἀνέμου σφοδρῶς ῥιπιζο-
 μένης, ἔκραζον πάντες τὸ Κύριον ἐλέηθη ὑπὸ ὄρα πολλῆς.
 Γενομένης ἡ ἱερατικῆς εὐχῆς, κατέπεσεν ἡ φλόξ, καὶ ἀ-
 νοῖξαντες τὴν εἰκόνα ἀσπὶ καὶ ἀλώβητον. Λαβόντες ἡ καὶ τὸ
 βαβίικον τμήμα, ὃ ἐπέθηκεν ἡ Πατρικία, εὐρον ἐν αὐτῷ
 ἑτέρον χαρακτῆρα δεσποτικὸν ἀχειροποίητον, ὃ τῆς θαύ-
 ματου, ὅμοιον τῷ πρῶτον τύπῳ. Δοξασαίτες ἡ τὸν Θεὸν ἐπὶ

τοῦτο πάντες, καὶ ἀσπασάμενοι αὐτὸν, ἔθηκαν Ἰπὶ τὸ ἄλ. ὁ
 τὸ γυναικὸς, καὶ δὴ βέως αἱ ὀδυῶσαι ἀπηλάθησαν, ἡ δὲ ἰός ὁ
 ἐδραπέτουςε, καὶ ἡ γυνὴ ἰάθη, καὶ τελείως εἰς ἑαυτὴν
 ἐλθοῦσα, ἀνέστη δοξάζουσα τὸν Θεὸν σωτῆρα πάντων ἡμῶν
 καὶ τῶν πρεσβυτέρων. *Tiberio, qui Mauritium pra-*
cessit, imperante, ingens planéque insolens miracu-
lum accidit. Matrona quaedam, cui Maria nomen
fuit, è Senatorio ordine, Patriciâ stirpe nata, religiosa
admodum, orbata viro, in grauem ἔ mortiferum
inciderat morbum, cui nullâ ope humanâ succurri po-
terat. Commendanti suam salutem D. N. Iesu
Christo, res bona in mentem venit, Presbyteros sa-
cro sanctâ illius à Domino sine manus operâ factâ
Imaginis custodes, per certos homines accersit. Presen-
tibus supplex aduoluta, Obsecro, inquit, Domini mei,
quandoquidem ob culparum mearum noxas, à Deo,
gravi periculosoq; morbo castigor, cupio infelix ego ἔ
indigna, per vestras preces, sanctam Domini effi-
giem ad dies quadraginta in vilissimas ades meas
transferri; forte per illam à Domino misericordiam
impetrabo. Sacerdotes animaduersâ cognitaq; illius
pietate ἔ religione, sacram Domini Imaginem attu-
lerunt. Reclusâ ergo hierothecâ, mulier venerata Ima-
ginem ἔ exosculata, accepit telam bombycinam,
eiusdem cum sacrâ effigie magnitudinis, illamq; ima-
gini Domini imposuit. Deinde imaginem Domini ita
tectam,

tectam, mundissimo scriniolo inclusam custodiuit, fir-
 mataq; per eam, in sacrario suo collocauit, & lumi-
 nibus magnificè illustratum, dies totos quadraginta
 assiduè coluit. Die iam quadagesimo elapso, femina
 cruciatus rediere grauissimi, adeoq; intolerandi, uti ne
 de lectulo quidem se leuare posset. Vocat & ergo ex an-
 cillis alteri, quam castiorem nouerat, Uade, inquit, ad-
 fer sacræ imaginis arculam, ut adoratâ illâ, aliquod
 inde dolorum meorum leuamen recipiam. quæ ingressa
 sacellum, vidit prodigium formidabile inexpectatum.
 Flamma (ad asserendam sacræ imaginis fidem) ex
 theothecâ illâ ad laquearia usque erupit, arâque
 totam complexa, ad pauimentum usque descendit, nec
 labem interim ullam altari intulit. Attonita puella
 concidit, alterâque curriculo Domina rem denuntiat:
 quæ territa de lectulo descendit, & totis connixa viri-
 bus, ad adiculam adrepsit, conspectâque flammâ ex-
 clamauit, Kyrie eleison: moxque accersiuit Sacerdotes,
 quos magna hominum comitata copia, qui omnes viso
 inusitato miraculo perculsi sunt. Flammâ autem ad-
 scendente ac descendente, non secus ac velum in nauigio
 à tempestate vehementer iactatum, omnes ad multas
 horas Kyrie eleison ingeminarunt. Fusis autem preci-
 bus flamma euauit, apertâque capsulâ, sanctam Do-
 mini effigiem sine manu expressam, illâsam intactâ
 que reperere: quin & telam illam sericam à Patricia
 im-

impositam alteri imagini tollentes, eandem prorsus, ac genuinâ illi archetypâ (ô stupendum miraculum!) Domini formâ, sine ullius ope insignitam inuenerunt; laudatôque super hoc beneficio Numine, exosculantes imaginem, femina laboranti imposuerunt, subitoque morbi dolores omnes absterfi, mulierque sibi penitus restituta surrexit, Deo que debitas laudes, cum toto Sacerdotum & populi cœtu persoluit. Hæc Menæa: in quibus deinde traditur, venerandam illam matronam, sub vitæ finem, effigiem miraculo expressam in Cœnobio Melitinensi S. Assumptionis reponi curasse; vnde ablata per Sergium Patriarcham, nouo miraculo, Deo sic volente, est restituta. Hucusque de Imaginibus Christi Seruatoris ἀχρηστοῖς: de quibus si quærat, qui factæ illæ fuerint; & quidem hæ postremæ per velaminum ad primigenias applicationem; in mantili verò Abagari, & Veronicæ peplo, per contactum vultus Christi, aut fudi, aut sudore diffluentis: dicam ego omnes eas (non secus ac sepulchrales) miraculo factas fuisse; vt essent perennes & egregij typi amoris Christi Domini erga miseros mortales; vt per eas (verba sunt Sextæ ^{Can. 83.} Synodi Constantinopolitanæ) manu duceremur in memoriam suæ in carne conuersationis, passionis, salutiferæ mortis, & prætereà mundo factæ redem-

E e ptio-

An. 392. num. 59. *ptionis. Affirmabo prætereà illas, digito Dei, (vt loquitur Baronius) siue diuinæ virtutis potentiâ depictas; vti velum illud sacris Imaginibus diuinitus pictum, & appensum in Ecclesiâ S. Stephani Protomartyris, in Vzalsi Africanæ prouinciæ ciuitate, de quo multa Euodius, eius loci Episcopus, æternæ memoriæ scriptis prodidit. De quibus omnibus si aliquis adhuc dubitet, cogitet ille facientem (inquit Hugo de S. Victore) & desinet esse mirabile quidquid erit; & si mirabile esse non desierit, tamen impossibile non erit: nam si factor omnipotens cogitatur, non erit impossibile quidquid erit.*

Lib. 2. de Sacram. p. 4. c. 11.

CAPVT XXXVI.

Quis cultus exhibendus Linteis sepulchralibus Christi Domini?

EXCELLENTISSIMVS planè, si quis alius rebus sacris exhiberi soleat: hætenus enim fatis, opinor, docuimus, Lintea ista sanctissima, Christi Seruatoris esse imagines non arte humanâ, sed diuinâ expressas manu; & inter præcipua Religionis nostræ pignora iure quàm optimo censerî. Neque enim alio ducta sunt colore harum imaginum præcipua lineamenta, quàm Christi sanie
pre-

pretiosâ, vnguentis, & cruore purpureo, quem in eiusmodi notis & vestigiis liceat obseruare. Aliquid certè sanguinis in terris etiamnum superesse concedit Caietanus, vbi distinguit inter sanguinem vitalem & nutrimentalem. Vitalem siue pulsatilem ait Galenus à sinistro cordis ventriculo per aortam ferri in totum corpus; cuius è finu cordis exclusionem, inferre tradunt Medici viuifici nectaris paupertatem. Nutrimentalem verò vult fortè Caietanus esse illum sanguinem, qui successiuè ad continuam nutritionem in hepate Christi mortalis gignebatur, eumque non fuisse totum à Christo resurgente denuò collectum: quod etiam concedit Suarez, cùm corpus humanum tantæ copix capax non sit. Pius II. in Bullâ ad Abbatem S. Mariæ, Xantonensis Diocesis, hanc opinionem non esse fidei contrariam definiuit: *Nos (inquit) qui de prædictis certam notitiam habemus, attendentes, quòd veritati fidei nullatenus repugnat, affirmare Redemptorem nostrum de sanguine præfato, ob ipsius passionis memoriam, aliquam partem in terris reliquisse, &c.* Gloriatu Mantuana Ecclesia, habere se de sanguine qui fluxit de latere Christi Saluatoris, (non de latere imaginis ipsius crucifixæ in Syriâ, in Beryto ciuitate) eumque verum esse Domini sanguinem, declara-

3. p. q. 54.
art. 2.Lib. de
Anat. vi-
uor.Tom. 2.
3. p. d. 47.
f. 2.

DeScript.
Eccles.in
S. Atha-
nasio.
An. 804.

In Hen-
rico III.

In Can.
Inuitat.
d. 2.

3. p. d. 36.
c. 8. n. 42.

uit Leo III. Pontifex ante annos octingentos, vt notat Bellarminus : & Baronius asserit, extare Romæ Diplomata Pontificis, in quibus sanguinis illius veritas confirmatur. Scribit etiam Mattheus Parisiensis, missum fuisse ab Ierosolymitano Patriarchâ vasculum cum vero Christi sanguine, ad Henricum III. Angliæ Regem, susceptum-que cum incredibili celebritate, prædicantibus Episcopis, & rationem reddentibus de veritate illius sanguinis. In Gallia Narbonensis vrbe S. Maximini, seruatur verus sanguis Christi Domini, phialâ vitreâ conclusus; qui quotannis die Veneris sancto, dum passionis Dominicæ Officium recitatur, maximo miraculo cernitur per se attolli & ebullire. Sixtus IV. in Opusculo de Sanguine Christi, affirmat, verum eius sanguinem & imaginem conspici in Sindone Camberiensis: quod laudat & amplectitur Iulius II. in Bullâ, quâ anno M. D. VI. Sindoni illi Festum diem, ac proprium Officium constituit, vt a libi retulimus. Quare iniuriâ censuit Turrecremata, erroneum ac temerarium esse, verum eiusmodi sanguinem in terris agnoscere. Ipse denique Vasquez aliquam particulam effusi à Christo sanguinis, fatetur superesse in *spinis, in clauis, ligno crucis, sudario, & aliis*; non in propriâ tamen

Christi
de
sanguine
Christi
P. M.
178

tamen formâ sanguinis , sed coloris cuiusdam purpurei.

Verùm quidquid de hac controuersia statuat, facile fuerit nostram assertionem de cultu Sudariis debito comprobare, si obseruaris, aliud longè esse, imaginem *per se* adorari, & aliud, *propter se*: sicut etiam plurimùm differunt, exemplar adorari in imagine, & imaginem adorari propter exemplar. Fatentur siquidem omnes Catholici, numquam imaginem propter se adorari, cum non sit propriè capax excellentiæ, cui nos submittamus; (est enim res inanima:) multi tamen contendunt adorari in se, hoc est, non in alio, aut cum alio, quod simul adoretur. Cùm igitur imago adoratur propter exemplar, in se tamen adoratur, & proximè actum illum terminat; licet tota ratio eiusmodi cultus & obseruantia, sit ipsum exemplar quod in imagine exprimitur; non secùs ac dum obseruatur Legatus propter Regem, illa dubio procul obseruantia Legato, non tamen propter se, sed Regis causâ exhibetur: & tota ratio volendi medium quod per se concupiscitur, est finis. Quando verò asserimus, exemplar adorari in imagine in quâ refulget, siue imaginem non adorari per se, sed aut per aliud, aut in alio, volumus ipsum prototypum non modò esse moti-

uum adorationis, sed ipsam etiam materiam & terminum proximum: primariò enim adoratur, & imago non nisi cum illo; ita vt ne mente quidem & intellectu seiungi queat imago à prototy-
 po. ex quibus efficitur, vt vnicus sit imaginis & exemplaris cultus. Quare cùm verissima sit illa antiquorum tum Patrum tum Theologorum sententia, quæ imaginem ab exemplari secerni vetat, & vnicum vtriusque cultum agnoscit, quo scilicet prototypon in suo typo obseruetur; apparet quàm sancto cultu colendæ sint hæ diuinæ Christi effigies. Debet igitur semel statui nostra hæc de Imaginum veneratione sententia: quod sanè pridem accuratè præstitit Vasquez, tertiâ parte, disputatione centesimâ octauâ; vbi omnium veterum passim fuisse confirmat, capite secundo. Apertus est omnino S. Thomæ sensus, ibidem, quæstione xxv. articulo iii. docet enim eandem imagini Christi, quæ ipsi Christo, tribuendam adorationem, latriæ scilicet; quod ibidem Articulo iv. de Cruce iterum inculcat; licet ille loquendi modus commodâ egeat, vti dicemus, expositione.

Lib. 1. pro
 Can. Ap.
 cap. 25.

Franciscus quoque Turrianus, hæreseôn impug-
 nator acerrimus, idem probat ex Nicephoro
 Patriarchâ Constantinopolitano, qui Dialogo

Or-

Orthodoxus, quærenti hæretico, quibus sacris paginis constet adorandam Christi imaginem, respondet, *ibi scriptum esse, ubi scriptum est adorandum esse Christum, siquidem inseparabilis est à prototypo effigies*. Et paulò post pergit ostendere, unum esse, imaginem & exemplar, non naturâ, sed χέσει, habitudine. *Deus & homo dicitur Christus significatione nominis, & naturâ diuinitatis & humanitatis: imago verò eius, significatione nominis dicitur Christus, non autem naturâ diuinitatis & humanitatis, habetque communionem nominis & honoris, atque adorationis cum prototypo*. Reliquos Patres dabit Vasquez: omnium instar sit Basilius, qui libro de Spiritu sancto ad Amphilochem, Cap. 18.
(quod etiam vsurpatur à Damasceno, & in Septimâ Synodo, actione quartâ à Ioanne Presbytero) Orat. 1.
& 3. de
Imag.

sic ait: Ὁ π βασιλεὺς λέγεται καὶ ἡ τῆ βασιλείας εἰκὼν, καὶ ἔ δύο βασιλεῖς· οὔτε γὰρ τὸ κράτος χίζεται, οὔτε ἡ δόξα διαμερίζεται. Ὡς γὰρ ἡ κρατεῖσα ἡμῶν δεχὴ καὶ ἐξουσία μία, ἔτω καὶ ἡ παρ' ἡμῶν δοξολογία μία, καὶ ἔ πολλαί, διότι ἡ εἰκὼν ἔ μὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει.

Quia Rex etiã dicitur Regis imago, & non duo Reges; neque enim Imperium scinditur, neque gloria diuiditur. Quemadmodum ergo principatus & potestas una est, quæ nobis dominatur; sic etiam & glorificatio à nobis una est, & non multa, propterea quod imaginis.

nis honor ad exemplar transit. Quibus verbis optimam causam reddit Basilius, cur vna sit Regis & imaginis Regiæ glorificatio, quia vnum est vtriusque imperium & dignitas: nulla siquidem alia dignitas & excellentia cui nos submittamus, est in imagine inanimâ, quàm ipsiusmet exemplaris quod in ipsâ refulget; ac proinde incapax prorsus est imago affectus illius interni, quo alteri propter summam eius præstantiâ nos ipsos submittimus, eiusque signa prodimus exteriùs. In illo autem interno affectu consistit adoratio, non autem aut in osculis, aut in genuflexionibus, quæ proximè ipsa afficiunt simulacra. Quod magis illustratur à contrario: quis etenim dicat, imaginem iniuriæ cuiuspiam capacem, si vel leuiter seiungatur à prototypo?

Sess. 25.

Denique fauet prorsus Tridentinum, quod decreto de Imaginibus statuit, *Imagines venerandas; non quòd credatur inesse in iis aliqua diuinitas, vel virtus propter quam sint colenda, vel quòd ab ijs aliquid sit petendum, vel quòd fiducia sit in Imaginibus figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa representant, vt per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & san-*

Sanctos quorum illa similitudinem gerunt, veneremur.

Quæ omnia planè euincunt, quasi participato quodam cultu, ipsi Christo aut patienti aut demortuo debito, obseruanda esse sacra Sudaria, quæ imagines Christi miraculosas esse toties inculcamus: quamuis hoc loquendi modo, vt latriâ dicantur colenda, meritò abstinere nos velint^a Vasquez & ^b Bellarminus, consentaneè dictis Septimæ Synodi. Latria enim significat affectum interioris seruitutis, quæ fit in spiritu & veritate, & soli Deo exhibetur: qui affectus non fertur in imaginem sine exemplari; quod tamen illis verbis exprimi videtur, *imago adoratur latriâ*. Si verò significetur, opus illud externum, quo honoramus imaginem, nasci ab interno affectu qui latria fit; vera in quodam analogico sensu est propositio; quia eiusmodi osculum, genuflexio, aut signum aliud, quod proximè attingit imaginem Christi, ex latriâ procedit, qui cultus externus aliquando *adoratio* dicitur.

Denique idem de sanctis Sudariis, quod de S. Cruce (quam suprâ S. Thomas latriâ adorari dicebat) sentiendum, cùm pares vbique sint rationes; ipsique aduersarij, qui volunt imaginem distincto cultu ab exemplari eoq; inferiori obseruari, concedunt tamen analogicè ad cultum proto-

F f typi

^aDis. 110.

^bLib. 2. de
Sanctis
cap. 22.

typi referri; atque ita Sanctorum effigies coli *dulia* secundum quid; B. Virginis *hyperdulia* secundum quid; & Christi proinde *latria* secundum quid. Sic

Cap. 24.
25.

Bellarminus libro secundo de Sanctis: & omnes prætereà peculiarem superioremque Cruci Dominicæ cultum assignant, ob sacratissimi Sanguinis asperionem, Christi contactum, & nostræ redemptionis instrumentum: quæ rationes prorsus in sanctis Sudariis militant, aliisque passionis Dominicæ instrumentis, de quibus sic Damascenus:

Orat. 3.
de Imag.

Προσκυνῶμεν τὸ Σταυρὸν τὸ ξύλον, τὰς ἡλκας, τὸν σάβανον, τὸν κάλαμον, τὸν λόγχην, τὴν ἰσορίαν καὶ σωτήριον τὸ ἐδάφητα, τὸν χιτῶνα, τὰς ΣΙΝΔΟΝΑΣ, τὰ ἀπαργαῖα. Nos veneramur & adoramus sanctæ Crucis lignum, clauos, spongiam, arundinem, lanceam, sacramque illam & salutarem vestem, tunicam, SINDONES, fascias.

Rectè igitur omnino Leontius Dialogo quinto contra Iudæos, vt refert etiam Septima Synodus Articulo quarto: *Quemadmodum Iacob accipiens à filiis suis vestem sanguine conspersam Joseph, cum lacrymis osculatus est, suisque oculis circumposuit, non ipsam vestem diligendo aut honorando hoc fecit; sed per eam arbitratus est se Joseph osculari, & in manibus habere: sic etiam Christiani omnes, Imagines Christi tenentes, nostraque carne osculantes,*

tes, animo videmur nobis ipsum Christum amplecti.

In his igitur sanguinolentis Ioseph nostri vestibus, Iosephum ipsum, cuius vetus ille umbra fuit, toto pectore debemus venerari. Quod ad me attinet, ego diuinam imaginem, quæ refulget in Sudario nostro Bisontino, multoties sum veneratus, tamquam augustissimum nostræ salutis monumentum; & hîc ad extremum, eadem oratione compello eam, quâ olim Sudario Edeffeno impressam Constantinus Imperator Porphyrogenitus filius:

*O diuina similitudo eius, quæ mutari non potest, Patris similitudinis! O character characteris diuina substantiæ! O venerandum & omni honore dignum, signaculum primariæ pulchritudinis Christi Dei nostri (tecum enim loquor, tamquam cum re animatâ,) conserua & custodi semper eum, qui piè & moderatè nobis imperat, & aduentus tui memoriam luculenter celebrat, quem cum tuâ benignitate ad auitam & paternam sedem extulisti; conserua eius germen, & generis successionem, & sceptrorum perpetuitatem: statum pacificum præbe Reipublica: concede ut hæc Regina * ciuitatum maneat inexpugnabilis: & nos ut ^{*Constantinopolis} placentes Archetypo tuo, Christo Deo nostro, admittamur in eius regnum caeleste, eum glorificantes & celebran-*

228 DE LINT. SEP. CHRISTI CRISIS HIST.
*lebrantes, quoniam eum decet gloria, & adoratio, in
sæcula sæculorum. Amen.*

Ego ne litterulam quidem immutarim in piif-
fimi Cæsaris precatione; æqualis enim in omni-
bus mens mihi: orare pro inuictissimo Imperato-
re nostro Ferdinando: pro omnibus Christianis
atque Catholicis Principibus, à quibus pendet
beata tranquillitas Reipublicæ Christianæ: pro
Vesontione nostrâ, quæ vel solo diuinæ Imaginis
thesauro quem possidet, Ciuitatum cis Alpes iure
dici possit Regina: denique pro salute nostrâ,
quam concedat nobis fons & origo bonorum
omnium Deus, in quo desino: vtinam sic in ex-
tremo illo exitu, certo & incerto fine. Amen.



SYL-

SYLLABVS AVCTORVM

Q V O S

LAVDAMVS, ILLVSTRAMVS,

A V T E M E N D A M V S.

A.



BVLENSIS.

Acta Capituli Bifontini.

Adornus.

Adrichomius.

Agellius.

Alcuinus.

D. Ambrosius.

Ammianus Marcellinus.

Angradus Monachus.

Annales Societatis I E S V.

Apuleius.

Arias Montanus.

Aristophanes.

D. Arhanafius.

Athenæus.

Attilius Serranus.

D. Augustinus.

B.

Baronius.

D. Basilius.

Bayfus.

Beda.

Bellarminus.

Bellonius.

D. Bernardus.

D. Bonauentura.

Boterus.

D. Brigitta.

Bzouius.

C.

Caietanus.

Calderinus.

Camuzatius.

Cassianus.

Catullus.

Cedrenus.

D. Chrysofomus.

Codex Rituum Bifont.

Codex Rhemensis vetus.

Concilium Tridentinum.

Constantinus Porphyrogenitus.

Cornelius Fronto.

Curopolates.

Curtius.

D.

Diuus Damascenus.

Dio Cassius.

Dio Chrysofomus.

Diodorus Siculus.

Dionysius Alexandrinus.

Ff 3

Diosco-

SYLLABVS AVCTORVM.

Dioscorides.
Donatus.
Durandus.

E.

ETymologici Auctor.
Euagrius.
Euchologium.
Euripides.
Eusebius.
Eusebius.
Euthymius.
Eutropius.

F.

Froissartes.

G.

Galenus.
Gautherius.
Gemma animæ.
Gennadius Scholaris.
D. Germanus.
Nicol. Gillius.
Girardus Hallianus.
Glaber.
Glossæ veteres.
Gordonus.
Goropius Becanus.
D. Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyssenus.
Gretferus.
Guichardus.
Gutherius.

H.

HAllenfis.
Herodotus.

Hesychius.
D. Hieronymus.
Hippocrates.
Historia Lausiaca.
Historia Rhemenfis.
Homerus.
Hugo de S. Victore.

I.

IAnsenius.
Innocentius III. PP.
Ioachimus Abbas.
Ioannes Constantinopolita-
nus.
Isidorus.
Iustinus.
Iuuenalis.
Iuuenicus.

L.

LAmpridius.
Leontius Episcopus Cy-
prius.
Leo Ostiensis.
Lexici Auctor.
Libri veteres MSS.
Lipomanus.
Lorinus.
Lucianus.
Lucretius.
Lutatius Placidius.

M.

MAcarius.
Macrobius.
Maiolus.
Mantuanus.
Martialis.

Mar-

SYLLABVS AVCTORVM.

Martianus Capella.
 Martinus Crufius.
 Martyrologium Romanum.
 Menæa Græcorum.
 Menologium Græcorum.
 Metaphraftes.
 Molanus.
 Monachus Engolismensis.
 Monodus.

N.

Nicephorus.
 Nonius Marcellus.
 Nonnus Poëta.
 Nummographus.

O.

Onomastici Auctor.
 Ouidius.

P.

Pacatus.
 Pacuuius.
 Paleotus.
 Palladius.
 Panegyricus Constantini.
 Papius Massonus.
 Paulinus.
 Pausanias.
 Petronius.
 Petrus à Beck.
 Philippus de Bergamo.
 Philo Iudæus.
 Philostratus.
 Phocyllides.
 Pingonius.
 Plato.
 Plautus.

Plinius.
 Plutarchus.
 Pollux.
 Polybius.
 Pomponius Mela.
 Pontifices varij.
 Prosper Bonafamilia.
 Prudentius.

Q.

Qvadrigarius.
 Quintilianus.

R.

Rabbi Iacob.
 Rabbi Moyfes.
 Radziuilus Princeps.
 Remigius.
 Ribera.
 Robertus Sunella.
 Rolliardus.
 Ruffus Ephesus.

S.

Salmeron.
 Saluianus.
 Seneca.
 Serarius.
 Sextus Empiricus.
 Sextus Philosophus.
 Sidonius Apollinaris.
 Sigonius.
 Silius Italicus.
 Simocatta.
 Sixtus IV. PP.
 Sophocles.
 Stapletonus.
 Strabo.

Sua.

SYLLABVS AVCTORVM.

Suarez.
Suetonius.
Suidas.
Surius.
Synesius.
Synodi diuersæ.

T.

TAcitus.
Terentius.
Tertullianus.
Testamentum vetus.
Testamentum nouum.
Theatrum Antiquitatum Parisiensium.
Themistius.
Theophanes.
Theuctus.

D.Thomas.
Tonfus.
Tullius.
Turrecremata.
Turrianus.
Tyrius.

V.

VAlla.
Varro.
Vasconcellius.
Vasquez.
Vincentius Brunus.
D.Vincentius Ferrerius.
Virgilius.

Z.

Zonaras.



IN-

I N D E X

R E R V M E T V O C V M

M E M O R A B I L I V M .

A



A DAMVS primus parens
 quo ritu sepultus. Pag. 2
 Egyptij corpora terra
 mandabant. 3
 condiebant triplici modo. 7, 18
 linteis inuoluebant. 6, 7
 domi seruabant. 8, 9
 Egyptiaca cōditura triplex causa. 10
 Egyptij Sacerdotes linigeri. 178,
 179
 Alba, Sacerdotum tunica. 181
 Alberti & Isabella Archiducum libe-
 ralitas. 75
 Altare S. Sudarij Bisontini privilegio
 munitum. 83
 Amedeus Dux Sabaudia Sacellum
 S. Sindoni edificat Camberij. 120
 Amictus ex lino Egyptiaco, Sindon.
 23.
 Amorgis, lini species. 177
 Anaboladium, Sindon. 23
 S. Antonius ritus Egyptiorum dete-
 status est. 9
 Antonius de Vergeyo Archiepiscopus
 curatus. 73
 Area, subterranea crypte. 4
 S. Athanasius Reliquias Sanctorum
 humo condendas quare censuit. 9,
 10
 Augusta velate in nummis. 43
 Aymericus proditor quatuor in partes
 distractus. 143

B

B Altem Dominicum. 57, 58
 Brachium S. Luca. 60
 Brachium S. Stephani. 56, 82
 Brandeum. 166

C

C Adauera in elementis sepulta. 1
 Caci recipiunt visum. 75, 76
 Calvinus refutatus. 33, 34, 35, 140
 S. Cappella S. Sindonis in arce Cambe-
 riensi. 120
 Capilli B. Virginis. 56, 99, 104
 Capilli mortuis incidebantur. 17
 Capsa argentea S. Sindonis Cambe-
 riensis. 121, 122
 Captiui diuinā virtute soluti ergastu-
 lis. 99
 Caput in duas partes diuisum. 43
 Caput pro toto homine. 43
 Caput S. Ioannis Calybita seruatur
 Chrysopoli seu Vefontione. 63
 Carbasa vnde dicta. 181
 S. Caroli Borromai peregrinatio. 134.
 & seqq.
 Caroli Magni facies sudario operta.
 48
 Carolus Caluus ab Aquisgrano Sin-
 donem Compendium transtulit. 150
 Casa ad condituram adhibita. 7
 S. Cassius Narniensis Episcopus. 49
 Catacumba Christianorum. 4
 Cedrinum vnguentum. 8
 Charta Gracorum Antistitum. 63

Gg

Chri-

INDEX RERVM

<i>Christianorum fides de resurrectione.</i>	4	<i>Fascia barbata.</i>	88, 89, 114
<i>Christiani corpora oculis condidere.</i>	3, 4	<i>Fascia crurales & pedales.</i>	170
<i>Christus frequenter pictus in Sindonibus.</i>	163	<i>Fascia defunctorum.</i>	21, 22, 172
<i>Christus intonso capite cur sepultus.</i>	18	<i>Fascia infantia Christi.</i>	171
<i>Cingulum non est Sudarium.</i>	55, 56, 57	<i>Fascia sepulchrales Christi.</i>	21, 22, 174, 175
<i>Clavi Martyrum, clavi Christi examinati.</i>	167	<i>Fascia sepulchrales totum corpus excepto capite complectebantur.</i>	35, 36, 37
<i>Clauorum Christi numerus an ex sacris linteis colligi possit.</i>	191	<i>Femina apud Iudaeos feminarum curabant cadauera.</i>	17
<i>Cæmeteria Christianorum.</i>	4	<i>Festus dies S. Sindonis Camberiensis.</i>	121
<i>Constantini Porphyrogeniti oratio ad Sudarium Edesseni imaginem.</i>	227	<i>Fimbria vestimentorum Christi, Vestitione.</i>	60
<i>Cornelia gens quo ritu sepulta.</i>	2	<i>Franciscus I. Rex Francorum peregrinationem instituit ad S. Sindonem Camberiensis.</i>	122
<i>Corpora integra condita sarcophagis.</i>	2	<i>Idem optat aperiri capsam Sindonis Compendiensis.</i>	151
<i>Corpus Christi quomodo inuolutum.</i>	47, 48	<i>Funerum celebritas apud Ethnicos unde.</i>	4
<i>Crucis Dominica portio inuenta.</i>	59	<i>Fusum B. Virginis.</i>	32
<i>Crucis Dominica imputribilis qualitas.</i>	28		
	D		
<i>Dentes sunt semina corporis surrecturi.</i>	5	<i>G Abbara.</i>	11, 13, 14, 15
<i>Diadema quid.</i>	169	<i>Gallica Ecclesie Reliquis diuisione.</i>	60
<i>Dido Pallanti vestes texuit.</i>	33	<i>Gamalielis preceptum pro sepultura cadauerum.</i>	16
<i>Dola vrbs, Sodalitati S. Sudarium Bisontini nomen dedit.</i>	82	<i>Gaufridus de Charny Sindonem collocauit in Ecclesia de Lireyo.</i>	99
<i>Dormitoria Christianorum.</i>	4	<i>gestauit Aurisflammam.</i>	143
	E	<i>Glomus B. Virginis.</i>	32
<i>Ecclesia de Lireyo extruitur.</i>	98,	<i>Græci faciem mortuorum Sacerdotum aere velabant.</i>	48
99			
<i>SS. Epiphani & Isidori corpora Vestitione.</i>	56		
<i>Exemplaria mortuorum materialia.</i>	12		
	F		
<i>Facies pars capitis potior.</i>	44	<i>Hæreticus ardente febre absumptus.</i>	71
<i>Facies pro totius corporis habitu.</i>	45	<i>Henricus Comes, parens Regum Lusitania.</i>	60
<i>Fascia quid.</i>	169	<i>Hierostrata Bisontinus S. Sudarium defert</i>	

ET VOCVM MEMORABILIVM.

<i>desert Vesontionem.</i>	52	<i>Larua mortuis adhibita in Aegypto.</i>	
<i>Embertus Comes à Rupe Sindonem</i>	14	<i>Lauabantur cadauera ante pollincturam.</i>	18
<i>Lirenses accepit in custodiam.</i>		<i>Lazari suscitati imago.</i>	39, 172
103, 104		<i>Lazarus cur in staturâ pueri depictus.</i>	173
I		<i>Leonardus de Grueriis miraculosè factus.</i>	70
I <i>acob quomodo cruentam vestem</i>		<i>Linthea alba, candida, inscripta.</i>	181, 182, 183
<i>Joseph osculatus sit.</i>	226	<i>Linthea sepulchralia Christi sunt ex lino terreno.</i>	179
<i>Idola in manus reperta.</i>	11	<i>Lintheorum pluralitas in sepulturâ Christi.</i>	22, 48, 164
<i>Idola mortuorum in vicis collocata.</i>		<i>Lintheamina sub institis in sepulturâ Iudaicâ.</i>	41
15, 16		<i>Lintheum ante faciem morientium.</i>	49
<i>Ignis, animata bellua creditus Aegyptiis.</i>	10	<i>Lintheum quo Christus pedes discipulorum terfit incombusibile.</i>	28, 29
<i>Imagines ἀρεποπίντοι quomodo facta.</i>		<i>Linum asbestinum, siue viuum.</i>	176
217		<i>Linum byssinum.</i>	177
<i>Imaginum Christi in Sudariis color, materia, pictura.</i>	198	<i>Linum catagraphum.</i>	182
<i>Imaginum culius qualis esse debeat.</i>		<i>Linum Cyprium non exurit.</i>	126
221		<i>Linum vulgare terrenum.</i>	178, 179
<i>Imago Christi non manu facta.</i>	209	<i>Linum xylum.</i>	177
<i>desertur in aciem.</i>	210, 211	<i>Ludouici Ducis Sabaudia charta pro Sindone Camberiensis.</i>	111
<i>mira patrat Constantinopoli.</i>	213	M	
<i>Infantes quare minimè cremarentur</i>	5	M <i>Antile Abagari quare dictum Sudarium.</i>	44
<i>Instita quid.</i>	170	<i>Manus & pedes, artus integros significent.</i>	38
<i>Instita sepulchrales quomodo circumuoluta.</i>	48	<i>Mappula, Sudarium Sacerdotis.</i>	26
<i>Instita non debuerunt notari in Sudario Bisontino.</i>	34, 42	<i>Margarita Carna.</i>	91
<i>Ioachimi Abbatis de Sudario capitis Christi vaticinium.</i>	55	<i>fuit Burgunda.</i>	94
<i>Iudae femina velata.</i>	44	<i>Sindonem Ducibus Sabaudia reliquit.</i>	109
<i>Iudaei Aegyptum habitauerunt.</i>	7	<i>Maria mater Domini diu vixit in Aegypto.</i>	32
<i>duplici modo cadauera curabãt.</i>	16	<i>Matildis Anglia Regina captam</i>	
<i>Iudaei corpora terra mandabant.</i>	3	Gg 2	an-
<i>ungebant.</i>	18		
<i>linteis inuoluebant.</i>	6, 16, 19, 20, 21, 22		
<i>Iudaei Sudarij Dominici primi possessores fuerunt.</i>	30		
L			
L <i>Ana in sacris non usurpata.</i>	178		
<i>Lancea lateris Christi.</i>	59		

INDEX RERVM

<i>auream pro Sindone Compendiensi</i>	<i>Sindone Compendiensi.</i>	152
<i>misit.</i>	<i>Philippus II. Rex Catholicus exem-</i>	
<i>Matrona vela funebria texebant pro-</i>	<i>plar S. Sudarij Vefontini postulat.</i>	79
<i>pinquis & amicis.</i>		32, 33
<i>Ministri Laborantes mortuos sepelie-</i>	<i>Prapatij Dominici portio Vefontione.</i>	60
<i>bant.</i>		168
<i>Miracula binain suscitatione Laza-</i>	<i>Podaris, tunica Sacerdotis.</i>	181
<i>ri.</i>	<i>Poppae Augustae corpus conditum.</i>	3, 7
<i>Mitra quid.</i>	<i>Poppae incedebar velata.</i>	43
<i>Mors, albus noctis puer.</i>	<i>Pueri fasciis, seu vinculis ligati.</i>	37,
<i>Mortuus suscitatus virtute S. Suda-</i>		170
<i>ri Vefontini.</i>		69
<i>Mumie sunt condita cadauera.</i>		11
<i>Myrrha ad condituram adhibita.</i>		7
N		
<i>Nili inundatio causa Aegyptiaca</i>		10
<i>conditura.</i>		10
<i>Nitrum in conditurâ Aegyptiacâ</i>		8
<i>usurpatum.</i>		8
<i>Numa Rex quomodo sepultus.</i>		2
<i>Nummi Sindonem Cambericensem</i>		119, 120
<i>preferentes.</i>		
O		
<i>Oculi claudebantur defunctis.</i>		17
<i>Oleum B. Mariae de Sardon-</i>		105
<i>nay.</i>		105
<i>Orarium, Sudarium.</i>		26
<i>Ossa sunt semina resurrectionis.</i>		5
<i>Othom, siue barbata fascia.</i>		14, 17
<i>Othom quid.</i>		160
P		
<i>Pecten B. Virginis.</i>		56
<i>Pedes & manus, artus integros si-</i>		38
<i>gnificant.</i>		38
<i>Penelope texuit funebre linteam Laer-</i>		33
<i>ti.</i>		33
<i>Persona seu larua mortuis in Aegypto</i>		14
<i>adhibita.</i>		14
<i>Pestis sedata Vefontione, virtute</i>		80
<i>S. Sudarij.</i>		80
<i>Philippi Regis Francorum charta pro</i>		
	<i>Reliquiarum veritatem que ar-</i>	51
	<i>guant.</i>	51
	<i>Reliquiarum falsarum exhibitores</i>	138
	<i>coerciti.</i>	138
	<i>Resurrectionis sensus in animis Ethni-</i>	4, 5
	<i>corum.</i>	4, 5
	<i>Richardus Pica Rhemensis Archi-</i>	69
	<i>presul, patriâ Bisontinus.</i>	69
	S	
	<i>Sacellum S. Sudarij Vefontini, an-</i>	71
	<i>ticâ fuit S. Maimbodo sacrum.</i>	71
	<i>Sacerdotes velati.</i>	44
	<i>Salinarum vrbs Sodalitati S. Sudarij</i>	82
	<i>Vefontini nomen dedit.</i>	82
	<i>Sanctuarium pro Sudariis.</i>	164, 167
	<i>Sanguis alius vitalis, alius nutrimen-</i>	219
	<i>talis.</i>	219
	<i>Sanguinis aliquid in terris Christus</i>	ibidem
	<i>reliquit.</i>	ibidem
	<i>Sanguis lateris Christi seruatur</i>	ibid.
	<i>Mantua.</i>	ibid.
	<i>Sanguis verus Christi habetur in vrbe</i>	220
	<i>S. Maximini.</i>	220
	<i>Sapphirus, liber vetustus.</i>	61
	<i>Scriniolum argenteum S. Sudarij Ve-</i>	71, 86
	<i>fontini.</i>	71, 86
	<i>Semitymbium, seu semisepulchrale.</i>	42
	<i>Sepultura ritus varij.</i>	1
	<i>antiquior in terrâ.</i>	2
		Seo

ET VOCVM MEMORABILIVM.

<i>Sepulchra variè nominata.</i>	5	<i>translata Taurinum.</i>	134
<i>Sepulchri Dominici longitudo.</i>	29	<i>Sodalitas S. Sudarij Vesontini.</i>	81
<i>Serapio Sindonites.</i>	24	<i>Sodalitium S. Sindonis Camberiensis.</i>	121
<i>Sindon quid.</i>	23, 24	<i>Sordes pretiosa ex abluto Christi corpore, ubi.</i>	18
<i>Sindon munda in Euangelio quid significet.</i>	20, 22, 41	<i>de Spinâ corona Domini aliquid Ventione.</i>	60
<i>Sindone amictus super nudo in Marci Euangelio.</i>	24	<i>Statura Christi in Sudariis qualis.</i>	187
<i>Sindon Compendiensis.</i>	150, 162	<i>Subucula linea Christi Domini ubi.</i>	32
<i>imagine Christi signata non est.</i>	160	<i>Sudaria lino texta.</i>	26, 179
<i>Sindon Taurinensis, qua Lirensis primum, deinde Camberiensis & Allobrogica dicta, unde in Franciam aduecta.</i>	144	<i>Sudaria Martyrum & Sanctorum.</i>	163, 167
<i>à Gaufrido de Charny bello parata.</i>	106, 144	<i>Sudaria pleraque ectypa.</i>	162
<i>eius longitudo & latitudo.</i>	29, 187	<i>Sudaria Setaba.</i>	26
<i>eius descriptio.</i>	184, & seq.	<i>Sudariis qualis cultus exhiberi debeat.</i>	225
195.		<i>Sudarium vox Syriaca & Latina.</i>	25, 58
<i>non est Sudarium capitis Christi.</i>	30, 150.	<i>faciei proprium.</i>	44
<i>non obtexit Christum in sepulchro.</i>	21, 34	<i>vsurpatum in re funebri.</i>	27
<i>notata fuit sanguine Christi ante pollincturam.</i>	145, 186, 194	<i>Sudarium capitis Domini longum pedes octo.</i>	28, 29
<i>seruata est primum in Campaniâ.</i>	95, 99	<i>totum corpus anterius obtegebat.</i>	42, 45, 49.
<i>à Trecentibus malè habita.</i>	100	<i>virtus eius incombustibilis.</i>	28
<i>cultus eius malè prohibitus à Clemente VII. Antipapâ.</i>	102	<i>cultum in ciuitate Saracenorum.</i>	50
<i>veritas eius defensa.</i>	137	<i>Sudarium Christi, quo sudorem sanguineum deterfit in monte Oliueti.</i>	27
<i>venit deinde in Humberti Comitis à Rupe potestatem.</i>	103, 104	<i>Sudarium Christi & Apostolorum imagines continens.</i>	32
<i>seruatur in Burgundiâ, in fano S. Hippolyti.</i>	104, 107	<i>Sudarium Edeffenum.</i>	200
<i>Margarita Humberti vidua donat illam Ducibus Sabaudia.</i>	107.	<i>translatum Constantinopolim.</i>	201
& seqq.		<i>ubi nunc seruetur.</i>	204
<i>miracula eius patrata Camberij.</i>	92, 123. & seqq.	<i>Sudarium Moguntinum.</i>	49, 161
<i>flammas euadit.</i>	124	<i>Sudarium S. Pauli Apostoli.</i>	44, 166
		<i>Sudarium Petrocoriense.</i>	161
		<i>Sudarium Veronica.</i>	204
		<i>Romam quando translatum.</i>	205
		<i>celebres eius Imagines Cadurci & Monasterioli.</i>	206

INDEX RERVM ET VOCVM MEMORAB.

<i>Sudarium Vlyssiponense, ectypon.</i>	163	<i>S. Theodoli Reliquia.</i>	82
<i>Sudarium Vefontinum, sive Bisontinum, est Sudarium capitis Christi, de quo S. Ioannes & Beda.</i>	29, 40	<i>Thus in conditurâ non usurpabant Egyptij.</i>	7
<i>per B. Virginem Iosepho concessum.</i>	31	<i>Tornodori in Galliâ viget cultus S. Sudarij Bisontini.</i>	82
<i>videri & per ipsam textum.</i>	32	<i>Trecensium Theologorum ineptia re-</i>	
<i>non est cingulum Domini.</i>	55	<i>futata.</i>	140
<i>in Palestinâ pecuniâ redemptû.</i>	52	<i>Tumba Christianorum.</i>	4
<i>Vefontionem perlatum.</i>	50, 52	<i>Tunica inconfusilis Christi.</i>	32
<i>ostensionis eius ritus antiquus.</i>	54	V	
<i>eius descriptio.</i>	185	<i>Vela defunctorû punicea, alba.</i>	6
<i>longitudo latitudo.</i>	186	<i>Vela funebria, symbola noctis & mortis.</i>	46
<i>amissum, & recuperatum.</i>	67, 68	<i>Velum, capillata capitis partis pro-</i>	
<i>deferebatur olim ad ægrotos.</i>	70	<i>prium.</i>	44
<i>eius miracula.</i>	66. & seq.	<i>Velum coxarum Christi crucifixi.</i>	
<i>Magnatum donaria.</i>	73	<i>195, 196</i>	
<i>oculis laborantes sanat.</i>	76	<i>seruatur Aquisgran.</i>	148
<i>dubios in fide heberat.</i>	76; 77	<i>Velum Plautilla, & Veronica cur di-</i>	
<i>à peste Vefontionem liberat.</i>	80	<i>ctum Sudarium.</i>	44
<i>dæmones vim eius non ferunt.</i>	86	<i>Vestales velata.</i>	43
<i>imagines eius valent contra venefi-</i>		<i>Vinum Phœnicum in conditurâ vsur-</i>	
<i>cia.</i>	84	<i>patum.</i>	7
<i>admiranda quadam de illo.</i>	86, 87	<i>Virgines sacrata Deo, velata.</i>	44
<i>quando publicè ostendatur.</i>	79, 87	<i>Viri, virorum curabant cadavera a-</i>	
<i>quando per civitatem deferatur.</i>	88	<i>apud Egyptios.</i>	17
<i>Superficies unde dicta.</i>	45	<i>Vnctio cadaverum apud Indeos vulgò</i>	
T		<i>recepta.</i>	19
<i>Taciti textus correctus.</i>	7	<i>differt à conditurâ.</i>	18
<i>Tenia quid.</i>	169	<i>Vulnere Christi quinque grandiora</i>	
<i>Taniarum usus in sepeliendo.</i>	48, 172	<i>tantum apparent in Sudario Bisontino.</i>	148
<i>Texta, seu crinalis vitta.</i>	170	<i>Vulnus lateris Christi.</i>	193
<i>Theatrum Vefontione excitatum pro</i>		<i>Vulnera manuum Christi.</i>	190
<i>Sudario ostendendo.</i>	70	<i>Vulnera pedum Christi.</i>	191

FINIS.

A P-

A P P R O B A T I O.

IOANNIS IACOBI CHIFFLETII, Gubernato-
ris Vefontini, & Ciuis Romani, Commentarius de
Sudario Vefontino, Sindone Taurinensi, & aliis Linteis
sepulchralibus CHRISTI SALVATORIS, dignus
est qui omnium manibus teratur; quòd varias Antiqui-
tates, cum sacras tum profanas, hactenus non intelle-
ctas, accuratè explicet. Datum Bruxellis postridie Kal.
Aprileis, M. DC. XXIV.

*Aubertus Miræus Decanus Antwerp.
& Censor Regius.*

CVM Crisis hæc Historica de Linteis sepulchrali-
bus CHRISTI DOMINI doctrinæ Catholicæ
conformis sit, atque in ea singularia ex Antiquitate pro-
ferantur monumenta, quæ non tantum ad instructio-
nem Lectorum, verum etiam ad pietatem excitandam
& fouendam valdè opportuna sunt, magno fructu eam
typis euulgandam censeo. Antwerpæ, Kal. Augu-
sti, M. DC. XXIV.

*P. Coens S.T.L. Canonicus
& Lib. Censor Antwerp.*

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis Catholici, & Potentissimi Belgarum Principis Privilegio cautum est, nequis IO. IAC. CHIFFLETTII *de Linteis sepulchralibus* CHRISTI SERVATORIS *Crisin Historicam* præter Balthasaris Moreti voluntatem vlllo modo intra sexennium imprimat, aut alibi terrarum impressam in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione Librorum, & aliâ graui poenâ mulctabitur, vti latius patet in litteris datis Bruxellæ, xxx. Maij, M. DC. XXIIV.


Signat.


Collegij Societatis JSW Paderbornæ 1656.

De VVitte.


ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXIV.


Handwritten text on the left edge of the page, including the letters "P" and "18".





diffle
-tus
de
Antoig
de pul
et mabo
d'nti
qui.
PM
15







991

Th
4905



Chiffre-
tous
de
linceis
sepul-
chreals
Christi
dri.
PM
28